This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



1010 e. 116



To the Bodleian Library,
from E. L. Dodgson, February 1, 1913.

1010 e. 116b

To the Bodleian Library,
from C. L. Dodgson, February 1, 1913.

DICTA CLASSICA

VETERIS TESTAMENTI

NOTIS PERPETUIS

ILLUSTRATA.

SECTIO POSTERIOR.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS WEYGANDIANIS.

1799.

BODLEIAN
13.2.1913
LIBRARY

INDEX.

Sectio ſecunda.

De ſtatu animi poſt mortem, ſeu de immortalitate animi.

§. 56.

Quid ſit animus ex ſententia veterum Hebraeorum.

Gen. 2, 7.
Pſ. 104, 29.
Eccleſ. 12, 7.
Geneſ. 9, 4.
Levit. 17, 11.
Devt. 12, 23.
Devt. 32, 46.
Pſ. 95, 10.
Job. 9, 4.
Proverb. 6, 32.
Pſ. 7, 10.
Jer. 31, 20.
Pſ. 16, 7.

§. 57.

Immortalitatem animi et vitam illius beatam poſt mortem veteres Hebraei ignoraruut. Quod patet

1) e ſcriptis Moſis.

Gen. 5, 24.
Gen. 49, 18.
Num. 23, 10.

§. 58.

2) e libro Jobi.

Job. 14, 7-17.
Job. 19, 25-28.
Job. 7, 7-10.
Job. 16, 22.
Job. 10, 20-22.

§. 59.

3) e Pſalmis et Eccleſiaſte.

Pſ. 71.
Pſ. 49.
Pſ. 6, 6.
Eccleſ. 3, 19-21.

§. 60.
4) e libris hiſtoricis V. T.
1 Sam. 28, 3-20.
2 Reg. 21, 1-12.
§. 61.
Quid Hebraei de fatis hominum mortuorum cogitarint.
§. 62.
Sententia propoſita confirmatur.
a) e Geneſi.
Geneſ. 37, 35.
Geneſ. 25, 8.
Geneſ. 35, 28.
Geneſ. 49, 29.
§. 63.
b) e libris moſaicis.
Numer. 16, 28-33.
Deut. 32, 22.
§. 64.
c) e carmine jobaeo.
Job. 11, 8.
Job. 28, 1-3.
Job. 10, 21. 22.
Job. 3, 13-19.
Job. 17, 13-16.
Job. 38, 17.
Job. 18, 14.
§. 65.
d) e Pſalmis et Proverbiis Salomonis.
Pſ. 6, 6.
Pſ. 30, 12.
Pſ. 88, 11-13.
Pſ. 49, 8. 16.
Pſ. 139, 8.
Pſ. 18, 5. 6.
Proverb. 9, 18.
Proverb. 2, 18. 19.
Proverb. 30, 15. 16.
Proverb. 15, 11.
§. 66.
e) e prophetis et aliis ſcriptoribus circa et poſt tempora exilii babylonici viventibus.
Jeſ. 14, 3-12.
Ezech. 31, 14-18.
Ezech. 32, 18-32.
Eccleſiaſt. 9, 10.
§. 67.
Doctrina de reſurrectione mortuorum, quando Hebraeis innotuerit.
Jeſ. 26, 19.
Ezech. 37, 1-14.
Dan. 12, 1-3.
§. 68.
De rerum fine ſeu de conſummatione ſeculi.
Pſ. 102, 28.
Jeſ. 14, 12.
Jeſ. 34, 4.
Jeſ. 65, 17.

Sectio tertia.

De cultu divino.

§. 69.

I) de ſacrificiis.

a) ante Abrahamum in Geneſi.

Gen. 4, 3-5.
Gen. 8, 20. 21.

§. 70.

b) a tempore Abrahami uſque ad Moſen.

Gen. 15, 9-20.
Gen. 22, 2. etc.
Gen. 31, 54.
Gen. 46, 1.

§. 71.

c) de ſacrificiis Jobi.

Job. 1, 4. 5.

§. 72.

d) de ſacrificiis moſaicis.

§. 73.

e) Judicia prophetarum aliorumque ſcriptorum, qui poſt Moſen floruerunt, de pretio ſacrificiis ſtatuendo.

Pſ. 40, 7-9.
Pſ. 51, 17. 18.
Pſ. 50. tot.
Proverb. 16, 6.
Proverb. 21, 3.
Jeſ. 1, 11-18.
Jeſ. 66, 1-3.
Jer. 6, 20.
Hoſ. 6, 6.
Amos 5, 21-24.

§. 74.

De hoſtiis humanis.

Levit. 18, 21.
Levit. 20, 1-5.
Devt. 12, 30. 31.
Devt. 18, 10.
Jud. 11, 34-40.
Jer. 32, 35.
2 Reg. 23, 10.

§. 75.

II) de precibus.

Gen. 12, 8.
Gen. 18, 23-33.
Exod. 32, 11-14.
Numer. 6, 22-27.
1 Sam. 10, 10. 11.
Pſ. 145, 18. 19.

§. 76.

Quo corporis habitu precati ſint.

Gen. 17, 3. 17.
Jeſ. 45, 23.
Dan. 6, 11.

1 Reg. 10, 18.
Hoſ. 13, 2.
Job. 31, 26. 27.

§. 77.

De locis, in quibus Deo ſacra fecerunt, et ad eum precati ſunt.

Gen. 22, 2-14.
Gen. 12, 6. et 18, 1.
Hoſ. 4, 13.
Gen. 28, 18. 22.
Gen. 26, 22. 24.
Gen. 21, 33.
Hoſ. 4, 18.
Devt. 12, 1-14.
1 Reg. 8, 1-30.

§. 78.

De tempore, quo ritus ſacros obſervarunt.

Gen. 2, 2. 3.
Exod. 20, 8-11.
Exod. 31, 12-17.
Exod. 35, 2. 3.
Jer. 17, 21. 22.
Ezech. 20, 20.
Numer. 28, 1-10.
Exod. 23, 14-17.
Levit. 23, 4-44.
Devt. 16, 16.

§. 79.

III) de votis.

Gen. 28, 20-22.
Numer. 30. tot.
Levit. 27.
Joſ. 6, 17-24.
Eccleſiaſt. 5, 1-5

§. 80.

IV) de jurejurando.

Geneſ. 31, 53. 54.
Devt. 29, 11-13.
Joſ. 9, 15.
Geneſ. 21, 27-31.
1 Reg. 8, 31. 32.
Levit. 19, 12.
Devt. 6, 13.
1 Sam. 77, 55.
Pſ. 63, 12.
Geneſ. 42, 15. 16.
Pſ. 139, 20.
Levit. 5, 1.
Proverb. 29, 24.
Numer. 5, 16-25.

Pars tertia

Christologiam complectens.

§. 81.

Quam notionem de Messia universe habuerint.

§. 82.

A) Descriptiones Messiae in scriptis prophetarum, qui ante exilium babylonicum floruerunt.

a) In vaticiniis Hoseae, Amosi, Michae.

Hos. 2, 1. 2.
Hos. 3, 4. 5.
Hos. 11, 11.
Hos. 14, 5-8.
Amos. 9, 9-14.
Mich. Cap. 4. et 5.

§. 83.

b) in vaticiniis Jesaiae.

Jes. 9, 1-6.
Jes. 11. et 12.

§. 84.

c) in posteriori parte Sachariae.

Sachar. 9, 9. — Cap. 10. tot.

§. 85.

d) in Jeremiae vaticiniis.

Jer. 23, 3-8.
Jer. 33, 14-18.

§. 86.

B) Descriptiones Messiae in scriptis prophetarum, qui in exilio babylonico et post illud floruerunt.

a) in vaticiniis Ezechielis.

Ezech. 34, 23-31.
Ezech. 37, 21-28.

§. 87.

b) in vaticiniis Sachariae.

Sachar. 3, 8-10.
Sachar. 6, 12-15.

§. 88.

c) in vaticiniis Malachiae.

Malach. 3, 1-4.
Malach. 4, 1-6.

§. 89.

d) in vaticiniis Danielis.

Dan. 2, 43. 44.
Dan. 7, 13. 14. 26. 27.

§. 90.

Unde nomen Meſſiae ortum ſit.

Pſalm. 2. tot.
Dan. 9, 24-27.

§. 91.

Alia prophetarum oracula, quae aureum ſeculum, nulla Meſſiae mentione injecta, promittunt.

Joel. 3. et 4.
Obad. v. 19-21.
Sephan. 3, 9-20.
Sachar. 11. - 14.
Jeſ. 65. et 66.

DICTA

DICTA CLASSICA VETERIS TESTAMENTI.

PARTIS SECUNDAE

SECTIO SECUNDA.

DE

STATU ANIMI POST MORTEM, SEU DE IMMORTALITATE ANIMI.

§. 56.

Quid ſit animus ex ſententia veterum Hebraeorum.

Veteres Hebraei non eum conceptum de animo humano formaverunt, quem recentiores philoſophi effinxerunt, illum eſſe ſpiritum intelligentem a materia purum, ſed per נפש et רוח *vim hominis vitalem*, ſeu *halitum* ex ore emiſſum et retractum intellexerunt. Etenim cum vidiſſent, hominem, dum ſpiret, vivere, et quamprimum reſpiratio deſinat, vita deſtitutum eſſe, *halitu oris vim vitalem ſe exſerere* putaverunt. Deus hanc *animam* homini inflavit, Geneſ. 2, 7, qui eandem, cum velut ex ente ſuo emanaverit et effluxerit, ad ſe retrahit, Pſ. 104, 29. Eccleſ. 12, 7. Sedem animae in ſanguine eſſe docuerunt, Gen. 9, 4. et Levit. 17, 11. Devt. 12, 23. et facultatum animi, intellectus, ingenii, ſapientiae, voluntatis ſedem in corde, Devt. 32, 46. Pſ. 95, 10. Job. 9, 4.

Prov. 6, 32. Pſ. 7, 11. (Pſ. 11, 2. Pſ. 36, 11.) et denique miſericordiae, dilectionis, doloris ſedem in inteſtinis, et affectuum in renibus Pſ. 16, 7. (73, 21. Prov. 23, 16.) poſuerunt, Jer. 31, 20. Jeſ. 63, 15. Inde ſatis clare patet, quam jejunas et imperfectas notiones de animo humano veteres Hebraei habuerint; clare elucet, illos ne prima quidem pſychologiae empiricae et rationalis principia tenuiſſe.

Geneſ. 2, 7. Poſtea Deus finxit hominem e terrae pulvere, et inflavit naribus ejus halitum vitae. Hoc modo factum eſt, ut fieret anima vivens.

Pſ. 104, 29. Si abſcondis faciem tuam, perturbantur. Si aufers halitum eorum, exſpirant, et ad pulverem redeunt.

Eccleſ. 12, 7. Priusquam pulvis redeat ad terram, qualis fuerat, et ſpiritus ad Deum, a quo datus eſt, revertatur.

Geneſ. 9, 4. Modo ne carnem cum anima ſua, i. e. ſanguine, comedatis.

Levit. 17, 11. Nam anima corporis eſt in ſanguine, quem ego vobis dedi, ut vosmet in altari expiet, ſanguis enim animam expiare ſolet.

Devt. 12, 23. Tantum fortis eſto, ut non veſcaris ſanguine, nam ſanguis eſt anima; noli itaque animam cum carne comedere.

Devt. 32, 46. Et dixit illis: attendite ad omnia verba, quae ego hodie vobis teſtatus ſum, ut ea filiis veſtris inculcetis obſervanda, et omnia verba hujus legis.

Pſ. 95, 10. Per quadraginta annos faſtidivi illos, et dixi: populus eſt inſipiens, qui praecepta mea non curat.

Job. 9, 4. Sapiens eſt et fortis (Deus); quis ei reſiſtens incolumis erit?

Prov. 6, 32. Qui maritatam adulteratur, inſipiens eſt, vitam perdit, qui ita agit.

Pſ. 7, 10. Deus eſt protector meus, ſervat probos.

Jer. 31, 20. Num Ephraim eſt filius mihi carus? an filius, de quo delector? Quoties de illo loquor, recordationi ejus immoror. Hinc viſcera mea erga illum commoventur, miſericordia ejus tangor, i. J.

Pſ. 16, 7. Laudabo Jovam, qui mihi conſuluit, renes mei me quoque inſtigant.

Ad §. 56. A philoſophis graecis multum diſputabatur, quid ſit animus humanus, quorum diverſas ſententias Cicero in quaeſtionibus tuſculanis L. I. c. 9. et 10. recenſet; „Quid ſit porro ipſe animus, aut ubi aut unde, magna diſſenſio eſt. Aliis cor ipſum animus videtur: ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur; Empedocles animum eſſe cenſet cordi ſuffuſum ſanguinem: aliis pars quaedam cerebri viſa eſt animi principatum tenere: aliis nec cor ipſum placet, nec cerebri quandam partem eſſe animum: ſed alii corde, alii in cerebro dixerunt animi eſſe ſedem et locum: animum autem alii animam, ut fere noſtri declarant nomen: nam et agere animam et efflare dicimus, et animoſos et bene animatos et ex animi ſententia: ipſe autem animus ab anima dictus eſt. Zenoni Stoico animus ignis videtur. Sed haec quidem, quae dixi, cor, cerebrum, animam, ignem, vulgo.„ Et quid mirum, veteres de animi natura diſſenſiſſe, quam noſtrates adhuc ignorant, quia homini non datum eſt, ſe ipſum noſcere, i. e. interiorem animi naturam ſenſibus non percipien-

dam inveſtigare. — Conferri ad hunc locum meretur *G. Fr. Seileri* Pſychologia ſacra, Erlang. 1778. 79.

Animi appellatio ut in plurimis linguis, ita in hebraea, reliquis longe ſimpliciore, ab afflatu et ſpiratione deducitur. Eſt enim רוח et נפש proprie *ſpiraculum* ſ. anhelitus, qui cum ſit vitae indicium praeſentiſſimum, vocabulum transfertur ad uſus varios atque vitam, Pſ. 49, 9. 16. deinde vitae cauſſam ſ. animum, Pſ. 16, 10. denique quicquid eſt in animo, ſenſus atque adfectiones ſignificat. Similiter Graeci ψυχην dicunt ab halitu, Latini animum quaſi ἀνεμος. Vid. *Doederlein* Inſtitut. Theol. chriſt. P. II. p. 556.

Geneſ. 2, 7. יצר - הויים, ſtatua terrea, quam Deus ceu figulus formavit, erat perfecta, corporisque venuſtate exornata, ſed vita adhuc carebat. Itaque Deus eam, afflando halitum, animavit. ויהי נפש חיה, *quo factum eſt*, *ut* עפר, *homo terrenus*, *fieret animatus*. Ex hoc loco cognoſcimus Hebraeorum ſententiam, 1) halitum oris, qui ſit vitae indicium, eſſe *animam*, et 2) hanc a Deo homini primaevo inſpiratam eſſe, quam ſi 3) Pſ. 104, 29. ad ſe retrahit, homines exſpirant et vita deſtituuntur. Hebraei igitur conſentiebant cum iis philoſophis graecis et romanis, qui animum eſſe animam ſ. halitum vitalem contenderunt.

Eccleſ. 12, 7. Inde ex hoc loco immortalitatem animi probari poſſe multis videbatur, ſed fruſtra. Autor enim reſpicit ad Gen. 2, 7. ubi narratur, halitum vitae a Deo Adamo datum eſſe, qui, cum homo exſpirat, ad Deum redit.

Geneſ. 9, 4. Eſus non modo vegetabilium, ſed etiam animalium in v. 2. 3. hominibus conceditur, addita tamen ea reſtrictione, ut ab eſu

ſanguinis abſtinerent; et quam ob cauſſam? quia huic anima inſit. Verba אך בשר בנפשו דמו per-obſcura videntur. Sed lucem accipiunt, ſi דמו explicationis ergo adjectum eſſe tenemus: אך *at*, בשר *carnem*, בנפשו *cum anima ſua*, דמו *id eſt ſanguine*, לא תאכלו *nolite comedere*.

Levit. 17, 11. Sanguinis eſu omnino abſtinendum eſſe ſerio inculcatur, v. 10, eademque ratio, quae Gen. 9, 4. adducebatur, repetitur: כי נפש הבשר בדם הוא, *nam anima corporis eſt in ſanguine*.

Devt. 12, 23. Hic locus clariſſime teſtatur, Hebraeos ſedem animae in ſanguine quaeſiviſſe. רק חזק, *tantum fortis eſto*, conſtantem te gere in abſtinentia a ſanguinis eſu, כי הדם הוא הנפש, *ſanguis* enim eſt anima. Hinc qui ſanguine veſcebatur, una cum carne ſimul animam devorabat. — Eandem ſententiam Empedocles amplexus eſt, qui animum cenſuit eſſe cordi ſuffuſum ſanguinem. Quia nimirum vita, ubi ſanguis et hominum et caeterorum animantium effunditur, mox ceſſat, animam cum ſanguine arctiſſime conjunctam eſſe arbitrabantur.

Devt. 32, 46. Pſ. 95, 10. Job. 9, 4. Proverb. 6, 32. Haec loca commemoravimus, ut demonſtraremus, facultatum animi ſ. intellectus humani ſedem Hebraeos a placitis nonnullorum philoſophorum graecorum non diſſentientes *cordi* tribuiſſe. שום לב, *cor ponere ad aliquid*, i. e. cogitationes mentis in aliquid dirigere, attendere. תועי לבב, *errantes corde*, intellectu deſtituti, inſipientes, ſeu, uti Latini loquuntur, vecordes, excordes. Eadem eſt vis phraſis חסר לב, *corde carens*. — Et ישרי לב, *recti corde* ſunt, qui bonam voluntatem habent, animi probitatem et candorem oſtendunt.

Jer. 31, 20. quocum loco concinit Jeſ. 63, 15. Ephraimitae in praecedenti oratione malis ſibi immiſſis humiliati poenitentiae ſenſus in animis ſuis excitatos eſſe confitentur. Isto ſermone Deus commovetur, ſentit amorem extinctum redire. Hoc admirans quaſi ſe ipſum ignoraſſet, interrogat: *num Ephraimus eſt filius mihi carus?* הֲ non eſt adſeverativum, quod nonnulli putarunt, ſed interrogativum, inchoante alteram ſententiam particula אִם. Res vero, per quam Deus ſentit, Ephraimum ſibi eſſe percarum, eſt, כִּי מִדֵּי דַבְּרִי בוֹ, *quia quoties de eo loquor, ejus recordor.* Verbum זכר non de qualicunque recordatione hic intelligendum eſſe, ſed de tali, quae conjuncta ſit cum deſiderio, res ipſa loquitur. — Jam Deus nonnihil ſubſiſtit in hac cogitatione, et ipſe ſibi tacitus reſpondet: eſt omnino ita. Pergit: *hinc fit, ut intimo ſenſu commovear ſuper eo.* Veriſſima imago patris amantiſſimi, ac fere juſto mollioris, ex ipſo naturae fonte hauſta, vivisque coloribus expreſſa, *Schnurr.* Quid ſit *commotio viſcerum*, propheta ipſe explicat per epexegeſin: *miſericordia ejus tangor.*

Pſ. 16, 7. Autor magno beneficiorum divinorum cumulo affectus laudes Numinis ſupremi canit, quia deſiderio Dei etiam noctu tenetur. Hujus autem *deſiderii* et laetitiae ſedem in renibus ſuis quaerit, quacum opinione Pſ. 73, 21. Prov. 23, 16. conſentiunt.

§. 57.

Immortalitatem animi et vitam illius beatam poſt mortem veteres Hebraei ignorarunt. Quod patet

1) e ſcriptis Moſis.

Animum hominis, machina corporis ſoluta, vivere et vigere, eumque non modo perceptiones

et appetitiones ſuas continuare, ſed etiam praemia virtutis accepturum, aut malefactorum poenas ſenſurum eſſe, veteres Hebraei ignorarunt. Cum nondum rectam notionem de animi humani natura ſibi informaſſent, mirari non debemus, ſi de ἀθανασια animi, quo corpus regitur, et beata poſt obitum vita non cogitarunt. Fuerunt quidem, in quorum numerum *Joannes Davides Michaelis* inprimis referendus eſt, qui veſtigia hujus doctrinae in libris moſaicis deprehendere ſibi viderentur. Verum enim vero loca ab illis excitata, cum accuratius examinantur, vi probandi deſtituta eſſe facile apparet, Geneſ. 5, 24. 49, 18. Exod. 3, 6. Numer. 23, 10.

Geneſ. 5, 24. Henochus coram Deo ambulavit, et non fuit, nam Deus eum abſtulit.

Geneſ. 49, 18. Auxilium tuum, Jova, exſpecto.

Exod. 3, 6. Et dixit Deus: ego ſum Deus progenitoris tui, Deus Abrahami, Deus Iſaaci et Deus Jacobi. Et Moſes faciem ſuam abſcondit, quia Deum intueri formidabat.

Numer. 23, 10. Quis poteſt numerare pulverem Jacob, et numerum quartae partis populi iſraelitici. Utinam moriar mortem juſtorum, eademque ſors mihi futuro tempore obtingat, quam illi.

Ad §. 57. Geneſ. 5, 24. Henochum, quia pius Dei cultor fuerit, a Deo in coelum ſublatum eſſe, vulgaris fuit opinio, quae ſi vera eſſet, omnino veteres Hebraeos animorum immortalitatem et vitam beatam poſt mortem cognoviſſe eſſet putandum. Sed haec explicatio notionibus, quas tam antiquo aevo habuerant, non accommodata eſt.

Eum, qui ſubito evanuit, aut repentina morte e vita abreptus eſt, a Deo eſſe ablatum crediderunt. Ganimedes, puer paſtoritiam vitam agens, venuſtate corporis inſignis, ſubito e vita diſceſſit fato improviſo oppreſſus, hominesque ignorarunt, quo evanuerit. Inde fama propagata eſt, Ganimedem Jovi propter egregiam corporis formam dilectum ab eo in coelum raptum, atque ſibi ad menſam accumbenti poculum nectare refertum ut porrigeret, adhibitum eſſe. Praematura et ſubita mors ab omnibus fere antiquis gentibus pro ſigno divini favoris et proemio eximiae pietatis habebatur. Sic locus et genus mortis Henochi nemini των συγχρονων innotuerat. Caeter. vid. §. 20. part. I. et *Ruperti* Commentat. Bemerkungen über die Entführung der Menſchen durch Götter, und über ihren plötzlichen und frühzeitigen Tod nach den Begriffen des Alterthums; in Magazin etc. T. VI. p. 194.

Geneſ. 49, 18. Antiquiores interpretes exiſtimarunt, Jacobum patriarcham hisce verbis ſpem futurae vitae beatae ejusque deſiderium exprimere, ut per ישועה *ſalus aeterna* intelligenda ſit. Sed haec interpretatio contextui parum apta eſt. Jacobus (ſeu potius auctor Jacobum loquentem inducens. Carmen enim hocce non ante Davidis tempora ſcriptum fuiſſe, interna indicia clare demonſtrant.) ore fatidico fata filiorum ſuorum tributumque ex illis prognatarum cecinit. In v. 17. et 19. mores Gaditarum depingit, qui praedaturi et latrocinaturi ſint, ex inſidiis viatores adorturi, quos hoſtium agmina propterea viciſſim aggredarentur. Haec pericula ſecum reputans exclamat, a Deo ſe auxilium exſpectare, Deum nepotibus ſuis hoſtilem animum gerentibus ſuppetias laturum, eque

magnis periculis aeque liberaturum esse, ac ipse ope divina e tot tantisque aerumnis liberatus sit.

Exod. 3, 6. *Ego sum Deus progenitoris tui etc.* i. e. Deus tutelaris, amicus, fautor et benefactor Abrahami, a quo vicissim pie colebar. Eodem nempe sensu אלהי אברהם dicitur Jova, quo קדוש ישראל vocabatur, *Numen tutelare Israelitarum*, a quo adamabantur et insignibus beneficiis ornabantur. Quia vero Christus inde animi immortalitatem probare annisus est, hanc doctrinam hisce verbis adumbrari non dubitarunt.

Sed optimus Servator allegoricam interpretandi rationem sequitur suo tempore receptam, verbisque mosaicis alium eumque sublimiorem sensum subjicit: dum Jova se nominet *Deum Abrahami*, subindicare voluisse, Abrahamum vita frui perpetuo duratura, quippe qui vivos, non mortuos singulari cura fovere dici possit.

Numer. 23, 10. Bileamus a Balaco mercede conductus, ut Israelitas diris devoveret, e specula, in qua constitutus erat, prospicit illos in aequo campo castra metantes, v. 9, et imprecationum loco omnia prospera auguratur: *cur devoveam, quem Deus non devovet? Et cur succenseam, cui Deus non succenset? A cacumine petrarum video hunc populum, e collibus prospicio. En populus iste solitarie habitabit, nec inter gentes reputabitur.* Dum innumeram Israelitarum multitudinem oculis suis admirabundus cernit, exclamat: מי מנה עפר יעקב, *quis numerat pulverem Jacobitarum*, i. e. Israelitas tam infinitos, quam arena maris seu pulvis terrae. Pulvis enim innuit ingentem multitudinem, Gen. 13, 16. 28, 14. וספר את מספר, *et* (quis numerat) *numerum quartae partis Israelitarum*, מי מנה e priori membro repetatur, et את pro nota Genitivi sumatur, Sed LXX. vertarunt: τις ἐξαριθμήσεται ἀκμὴν

Ισραηλ, videntur legiſſe: מִי מִסְפָּר, pro מִסְפָּר; quae eſt *Venemae* conjectura elegantiſſima. Tum את, uti ordinarie, caſum quantum denotat. רובע, *quarta pars caſtrorum*, quam ante oculos habuit. — תמות נפשי מות ישרים; *anima mea moriatur mortem juſtorum*, i. e. utinam ego moriar tam felix et fortunatus, quam iſte populus. Praevidet animo ſortem proſperam Iſraelitarum, ideoque optat, ut ſibi aeque ac illis tam proſpera ſors ad obitum uſque obtingat. Dum vero illos ישרים, *juſtos, probos* vocat, ad nomen ישראל ex ישר et אל compoſitum alludere videtur. אחרית, *ſtatus futurus, tempus futurum*, Pſ. 37, 37. Gen. 49, 1. Deut. 4, 30. אחריתי itaque eſt *ſtatus meus poſterior*, ſors, quae inde ab hoc tempore mihi contingit: und ſey mein künftig Loos, wie ihres. — Ex hac interpretatione contextui tam apta liquet, quam male *Michaelis in Commentat.*, cui titulus eſt: *argumenta immortalitatis animorum humanorum et futuri ſeculi ex Moſe collecta* §. 13, patet, Bileamum his verbis innuere ſpem beatae immortalitatis, quam divina doctrina morientibus Iſraelitis oſtenderit. Jam per ſe improbabile eſt, Bileamum a cognitione beatae poſt mortem vitae inſtructum fuiſſe; et multo minus credibile illum in hac orationis συναφειᾳ optaſſe, ut tam certo felicitate aeterna poſt corporis mortem ſperanda frui ſibi liceret, quam Iſraelitis.

§. 58.

2) e libro Jobi.

In Jobiade quoque ſpem melioris vitae poſt mortem fruſtra quaeſiverunt, Job. 14, 7. etc. 19, 25 - 28. Nam Jobus claris verbis indicat, 1) ſe, obi mortuus fuerit, neque reditum in hanc vitam

ſperare, Cap. 7, 7 - 10. 14, 7 - 12. 16, 22. 2) neque continuationem vitae animi et beatiorem ejus ſortem ſive in coelis ſive in locis ſubterraneis, 10, 20 - 22. exſpectare.

Job. 14, 7 - 14. Arbori exciſae ſpes eſt, ut germinet, nec ſurculi ejus deficiunt. Si ſenuerit in terra radix ejus, et in pulvere truncus emortuus fuerit, ab odore aquarum tamen repullulat, et plantatae inſtar ramos protrudit. — Homo autem, quando mortuus humi proſternitur, et exſpiravit, ubi eſt? Uti aquae diffluunt e ſtagnis, et fluvius exſiccatur et areſcit; ſic homo cubat nec reſurgit. Donec coelum non ſit, non expergefiet, et e ſomno ſuo non excitabitur. — Utinam me occultares in Orco, abſconderes, dum ira tua averteretur, et termino conſtituto mei recordareris. At vivet mortuus? per omnes dies vitae meae miſerrimae exſpectarem, dum veniret iſta grata rerum mearum mutatio.

Job. 19, 25 - 28. Ego ſcio, vindicem meum vivere, eumque tandem pulverem oppugnaturum eſſe. Mutabo cutem meam ab hisce arroſam, et e corpore meo Deum videbo. Videbo eum mihi propitium, oculi mei illum intuebuntur non mihi infeſtum. Renes mei prae deſiderio in ſinu meo conſumuntur.

Cap. 7, 7 - 10. Memor ſis, vitam meam eſſe halitum, oculum meum bona non denuo viſurum eſſe. Oculus ejus, qui me vidit, non denuo me cernet. Sicut nubes conſumitur et diſparet: ita qui ad Orcum deſcendit, non revertitur. Non revertitur in domum ſuam, et ejus domicilium illum non agnoſcit.

Job. 16, 22. Pauci anni mox praeterierunt, viamque ingrediar, quam non remeabo.

Job. 10, 20-22. Nonne pauci mei dies mox ceſſabunt? utinam abſiſtat a me, ut paululum me recipiam. Antequam abeam, non rediturus, in terram tenebricoſam et caliginoſam, in terram obſcuram, quales ſunt umbrarum tenebrae ſine ordine, cujus ſplendor caligini par eſt.

Ad §. 58. Job. 14, 7-14. Jobus adfirmat, quo brevius ſit vitae ſpatium a Deo homini conceſſum, eo magis ei quietem et tranquillam vitam a miſeria et dira vexatione immunem Deum largiri debere. *Homini enim mortuo nullam reviviſcendi ſpem ſupereſſe, neminem ex Orco in ſupernas terrae regiones remitti.* Hominem dum *primo* cum arbore comparat, conditionem ejus deteriorem eſſe reperit. Truncus enim arboris exciſae repullulat, ſed homo exſtinctus non ad vitam revocatur. *Dein* componit cum aquis ſtagni ſolis aeſtu exſiccatis et diſparentibus, nec non cum fluvio per aeſtum arido facto. Quemadmodum iſtorum aquae evaneſcunt, nec unquam redeunt: ſic homo fato functus ad vitam nunquam redit. חלף, arab. *pone venit, ſucceſſit*, inde in arab. ſyr. et hebr. 1) *mutavit*, Jeſ. 24, 5. Hinc in v. 14. חליפה, *permutatio mei, viciſſitudo, reſtauratio vitae meae*; 2) *nova germina emiſit excreſcens herba, repullulavit*, Jeſ. 40, 31. גזע, ea ſtipitis pars, quae arbore ſucciſa in humo remanet, r. גזע, *ſuccidit, ſecuit.* ריח מים, *odor aquae*, humores. קציר, *ramus viridis.* Pſ. 80, 12. Job. 18, 16. כמו נטע vel *ac ſi quis illam recens plantaſſet*, vel נָטַע eſt nomen, LXX. ὡς νεοφυτευθεν. חרש, arab. *proſtravit.* — In verbis אזלו מים particula comparativa omiſſa eſt: *ſicut* aquae dilabuntur. מני ים, *e ſtagno.* ים non tantum *mare*, ſ. Oceanum, ſed etiam *ſtagna* ſignificat, Numer. 34, 11. 2 Chron. 4, 6. uti noſtrum germanicum *See*. Prae-

cipue Nilus ejusque ostia et a Graecis et ab Arabibus *mare* vocantur, cf. Cor. Sur. 29, 39. אוּל, *dilabi*, *fine spe reditus disparere*. Simile petitum est a stagnis et torrentibus in vallibus Arabiae pluviali tempore collectis, paulo post autem calore solis exsiccatis, ut ne vestigia aquae quidem remaneant. עַד בִּלְתִּי שָׁמַיִם, *dum non sint coeli*, ex alia lectione, quam LXX. Aq. Theod. Syr. Vulg. commendant, עַד בָּלוֹת, *dum veteraſcunt*, sensu eodem manente. Sententia, *coelos senectute solvi*, convenit cum Ps. 102, 27. לֹא יָקִיצוּ, *non expergiſcuntur*, poeta affectu vehementiori plenus ad pluralem transit.

Optat Jobus v. 13. ut Deus sibi vitam tamdiu eripiat, dum ira ejus sedata esset, et dein reditum in vitam concedat. Sed in v. 14. hanc spem laetam se fovere non posse profitetur, neminem enim hominum a morte reducem esse. אִם יָמוּת גֶּבֶר הֲיִחְיֶה, *num homo, ſi moritur, vitae redditur?* Interrogatio negative accipienda est. חָיָה, *vivere*, quia Hebraei verba composita non habent, denotat quoque *reviviſcere*, Hos. 6, 2. Deut. 32, 29. כֹּל יְמֵי צְבָאִי אֲיַחֵל, si hoc sperare liceret, *omnes miſeriae meae dies exſpectarem, dum reſtauratio mea veniret*. צָבָא, στρατεία, statio militum, quacum molesta conditione vita Jobi misera et calamitosa comparatur. —

LXX. comma 14. verterunt: εαν γαρ αποθανη ανθρωπος, ζησεται· συντελεσαι ημερας του βιου αυτου, υπομενω εως παλιν γενωμαι. Hic interpres Hebraeum interrogativum ante הֲיִחְיֶה in codice suo non habuisse, locumque nostrum de vita altera beata post mortem intellexisse videtur. Illius autoritate *Michaelis* in versione sua theodisc. et in bibliotheca orient. T. VII. p. 238. nititur, et ita locum nostrum interpretatur: *Wenn homo moritur, tamen, vitae reſti-*

tantur. Per omnes vitae meae dies ſtatum meum emicantem exſpectabo, *dum venerit dies, quo vegerminabo.* צבאי, a r. arab. *emicuit veluti ſtella oriens, mein neuer Aufgang.* De חליפה vid. ſupra. Pro יָמַי pronunciavit יָמָי, *dies mei.* — At lectio יחיה absque He nonniſi unum habet teſtem, cui contextus et reliqua Jobi dicta aperte repugnant. In v. 10. et 11. Jobus profitetur, hominem vita defunctum e mortis ſomno non reſuſcitari; quocum confeſſione etiam plura alia loca, quae deinceps commemorabuntur, plane conſentiunt. Nonne autor ſibimetipſi manifeſte contradiceret, ſi vitam hominis poſt fata modo negaret, v. 9. 10. modo affirmaret? v. 14. Et certe *Michaelis* hanc interpretationem nunquam comprobaſſet, niſi locum celebrem Job. 19, 25 - 28. de reſurrectione mortuorum male explicuiſſet.

Job. 19, 25 - 28. Hic eſt locus inſignis, cui fidem immortalitatis animi et reſurrectionis mortuorum ineſſe certiſſime crediderunt, maxime Vulgatae autoritate, quam etiam *Lutherus* ſecutus eſt, inducti: *ſcio enim, quod redemtor meus vivit, et in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum; et rurſus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, et oculi mei conſpecturi ſunt, et non alius.* Noviſſime hanc explicationem exornavit *Michaelis.* Quia autem verba textus non illum ſenſum praebent, quem Vulgata expreſſit, vir beatus critices ope aliam, eamque, uti ſibi videbatur, commodiorem verſionem dedit: *ſcio, quod redemtor meus vivit, alius ego olim e pulvere ſurrecturus eſt, cutis mea, haec arroſa, erit alia.* גואלי eſt Deus; quem ſperat ſe a miſeria liberaturum eſſe. Ad אחרון ſupplevit *ego*, *ein anderes Ich.* קם על עפר, *ſtare ſuper pulvere*, idem ei eſſe videbatur, ac reſurgere e terra. Pro אַחַר

pronunciavit אחר, *et alia erit cutis mea*, pro נקפו ex autoritate των LXX. Syr. נקפתי, *dilaceratio mea haec.*

Sed facile quivis linguae hebraicae gnarus, me vel non monente, videbit, hanc versionem duriorem esse et contortam, genioque linguae prorsus contrariam. Praeterquam enim quod post אחרון suppleverit אני, *ego*, אחרון non valet *alius*, sed *postremus*, et phrasis, *ein anderer Ich*, linguae hebr. indoli repugnat. קום על ex idiotismo hebraico est *oppugnare aliquem*, Ps. 3, 2. Amos 7, 9. Esai. 31, 9. sed nuspiam, *redivivum super pulvere terrae stare.* Lectionem נקפו an veteres interpretes habuerint, admodum incertum est, qui sensum pro suo judicio magis quam verba expressisse videntur. Quod maxime urgent *Michaelis* aliique, qui hanc sententiam, doctrinam de resurrectione mortuorum hic proponi, sedulo defendunt: Jobum nimis sibi contradicere, si in his versibus restitutionem valetudinis et pristinae felicitatis spem ostenderet, cum in superioribus de ea recuperanda prorsus desperasset: recte respondit *Dathius*, hoc non adeo verum esse, ut Jobum hoc semper fecisse dici posset. In affectu quidem vehementiori defendendae suae innocentiae, aut in querelis de nimia severitate, qua Deus cum eo agat, utique nonnunquam ita loquitur, ut de vitae suae conservatione prorsus desperare videatur, cujusmodi locus est Cap. 13, 13. etc. Sed in hoc magnum poetae artificium est, quo hominem pinxit, qualis revera est, varium nempe, suique parum constantem, prouti affectus vehementia aut malorum suorum consideratione movetur aut impellitur. — Neque a vero alienum videtur, poetam praeludere voluisse hac Jobi spe et fiducia certa videndi aliquando Deum ad causae

ſuae deciſionem, apparitioni illi divinae et colloquio illi cum Jobo, in quo poema deſinit. —

Ut itaque ad rectiorem hujus loci difficilioris interpretationem veniamus, Jobus ſpem profitetur, fore, ut priſtina valetudo corporis et felicitas ſibi reſtituatur, atque tandem, quod ſaepe votis expetiverat, oculis ſuis videat Deum ſibi propitium et amicum. גאל proprie eſt *ſanguinis vindex jure cognationis*, ſenſu improprio autem *patronus cauſſae*, defenſor et redemtor ex aerumna, maximaque miſeria, qua oppreſſus quis jacet. ואחרון, *et poſtremus*, idem quod *tandem*; על יקום *impugnabit*, עפר *pulverem*. Quid ſub hoc intelligatur, diſſentiunt. *Eichhornius* ſpecios Jobi ſic dictos exiſtimat cum reſpectu ad corpus eorum fragile. Alii rectius Jobum, *corpus ſuum* innuere autumant *pulvere* et cinere contectum. ואחר עורי, *et deponam cutem meam*, quae eſt *Doederleinii* verſio in Scholiis ad h. l., adhuc, quantum perſpicio, optima. Nimirum אחר eſt prima perſona Conjugationis Hiphil ab אחר, *pone ſecutus eſt*, pro אאחר; littera Aleph ante aliam Aleph eliſa, ut in aliis locis bene multis. Sic infra Cap. 32, 11. אזין pro אאזין. Pſ. 16, 3. אדיר pro אאדיר, Pſ. 144, 12. In quarta conjugat. Arabum אחר eſt *poſt ſe relinquere* ſ. *abjicere*, *deponere*. Minus placet *Ilgenii* conjectura in commentat. de Jobi antiquiſſimi carminis hebraici natura et virtutibus, quam *Pape* in verſione theodiſc. approbavit, mutatis punctis legendum eſſe וְאָחַר, pro וְאֶתְאַחַר, ut legitur Gen. 32, 5. in notione *commorandi*. Ante עור ſupplet ב, vertitque: *commorabor in cute mea*, (אשר) *quam* נקפו זאת, *contuderunt haec*. Rad. נקף, arab. *contundere*, *excedere*. זאת δεικτικῶς dictum, monſtrando ad vermes et ulcera, quibus corpus ſuum atrofum erat. Quia זאת collective poſitum eſt, recte cum verbo plurali numeri con-

conſtruebatur. ומבשרי, *et e corpore meo*, adhuc vivus, אחזה לי, *videbo mihi*, ſc. propitium, לא זר, *non alienum*, a me averſum, mihi inimicum. זר 1) *peregrinus*, extraneus, 2) *hoſtis*, *barbarus*, Jeſ. 1, 7. 25, 2. 5. Jer. 51, 2. ut *hoſtis* Latinis olim erat *peregrinus*. — *Renes mei*, ſedes deſiderii ex ſententia veterum Hebraeorum, *in ſinu meo*, in me, *prae deſiderio conſumuntur*, i. e. maxime deſiderio flagro Deum ita mihi propitium videndi.

Cap. 7, 7 - 10. Jobus in hoc capite queritur de doloribus et cruciatibus corporis ſui, et ut Deus illos propter brevitatem vitae mitiget, ſuique miſereatur, ſerio precatur. זכור כי חיי, *memor ſis, vitam meam eſſe vanam*. רוח 1) *halitus*, indeque 2) *res vana et nihili*, Jer. 5, 12. Hoſ. 12, 2. לא תשוב לראות, *non revertitur videre*, non denuo videt. Prius verbum rem, poſterius modum aut circumſtantiam aliquam deſcribit, et adverbii vicem explet. Haec conſtructio potiſſimum locum obtinet in verbo שוב, quod actionem iteratam vel ſaepius repetitam indicat, cf. *Schröderi* Syntax. p. 280. ראה vero cum טוב conſtr. valet *frui bonis hujus vitae*. ראה, re conſpecta fruitus eſt, Pſ. 27, 13. Pſ. 34, 13. Eccleſ. 2, 1. cap. 3, 13. עיניך בי, *ſi oculi tui ad me ſunt*, ſi ad me reſpicis, אינני, *non amplius adſum*. Ante כלה ענן particula comparativa כמו aut alia ſimilis omiſſa eſt, quam LXX. recte ſupplerunt: ὡσπερ νεφος. הלך ילך ut *abire*, *evaneſcere*, Cap. 27, 21. Homo mortuus in vitam nunquam revocatur. Vix Jobus ita dixiſſet, ſi reſuſcitationem corporum emortuorum fore credidiſſet.

Job. 16, 22. Cum injuſte Jobus ab amicis tractaretur, et atrocium criminum clam commiſſorum infimularetur, ad Deum innocentiae ſuae teſtem provocavit, eumque imploravit, ut inter

se et adversarios litem componeret, remque decerneret absque mora propter caducam vitam suam, qua finita reditus ad superas regiones non detur. שנות מספר, *pauci anni*; ut *homines numeri* sunt numero pauci, qui facile numerari possunt, Genes. 34, 39. Ps. 105, 12. sic etiam שנות מספר sunt *pauci anni*. מספר nempe postpositum *paucitatem*, praepositum *multitudinem* infert, Job. 36, 26. יאזיו, *mox veniunt*, praetereunt cito, anni vitae pauci vivendo repente impleti sunt. ואורח (אשר) לא, *viamque ingredior, quam non remeaturus sum.*

Job. 10, 20 - 22. Cum mortem proxime sibi instare Jobus sentiret, hoc ardentissime sibi exoptat, ut paucis diebus, quibus adhuc superstes sit, quiete et dolorum vehementissimorum remissione fruatur. הלא מעט ימי, *nonne paululum sunt dies mei?* nonne pauci dies mihi supersunt? יַחֲוֵל יָשִׁית sec. Ctib in Fut. legendum est, *definas* etc., secundum Kri in Imperativo חֲוַל et שִׁית, *define*. Verbum autem שית idem h. l. valet ac חדל, quocum junctum legitur, significatione petita a rad. aethiop. שחת, *cessavit, destitit*. בלג, arab. *nituit, fulsit*, in Hiphil *splendere fecit*, subintellecto פָּנִים, *faciem*, i. e. *recreavit, refocillavit*. — Caetera hujus loci verba postea illustranda sunt. Hoc autem clare patet, Jobum, qui putavit, se post mortem descendere in locum caliginosum et cimmeriis tenebris obtectum, certe non credidisse, se, machina corporis sui soluta, in sedes beatiores transferri.

§. 59.

3) e Psalmis et Ecclesiaste.

Neque Davides, neque alii poetae, qui sua aetate et diu post floruerunt, unquam immortalitatem animi vel uno verbo attigerunt, et spem

vitae beatioris poſt fata prodiderunt. Laudat Davides pia mente beneficia divina, quibus adfectus ſit; Deo grates agit, quod benignitas divina et protectio per omnes vitae ſuae dies ſe comitata ſit, et quod Deum velut ducem habuerit ad ſenectutem uſque, in qua ne ſe deſtituat flagrantiſſime orat. Sed nullam facit mentionem vitae melioris poſt mortem inchoandae et arctioris conjunctionis cum Deo, cui totus addictus erat, in coelis, Pſ. 71. Nec gaudia, nec laetitiam in Orco exſpectat, defunctus ne vi quidem gaudet, Deo laudes canendi et grates agendi, Pſ. 49. Pſ. 6, 5. 6. — Idem adhuc docetur in Eccleſiaſte, Cap. 3, 19 - 21. — Prophetae quoque nil niſi bona hujus vitae terreſtris ubique promittunt.

Pſ. 71. In te Jova confido, nunquam pudore confundar. Pro benignitate tua eripe me, adverte aurem tuam ad me, et me ſerva. Sis mihi rupes munita, quo jugiter veniam. Promiſiſti me ſervare, nam tu es petra mea et munimentum meum. Deus mi, eripe me e poteſtate impii, e vi iniqui et oppreſſoris. Nam tu es ſpes mea, Domine Jova, fiducia mea inde a pueritia mea. Tibi innitor ab utero matris meae. E matrice tu me eduxiſti, jugiter tibi laudes cano. Multis viſus ſum eſſe velut prodigium, in te autem firmam pono fiduciam. Os meum laudibus tuis refertum eſt, quotidie majeſtate tua. Ne rejicias me in ſenectute, ne viribus deficientibus me deſtituas. Etenim hoſtes vitae meae inſidiantes una conſilia ineunt, dicuntque: quem Deus reliquit, perſequimini et prehendite, non enim eſt vindex. Deus, ne ſis a me procul, Deus mi, ad opem mihi ferendam feſtina. Vitae meae adverſantes erubeſcant, perdantur, perniciem meam quae-

rentes opprobrio et ignominia obruantur. Ego vero quotidie ſperabo, auctisque laudibus te efferam. Os meum bonitatem tuam, quotidie benignitatem tuam celebrabit, quam computare non poſſum. Virtutes Domini Jovae commemorabo, ego ſolus benignitatem tuam laudabo. Deus, tu me docuiſti a pueritia mea, et adhuc inſignia tua beneficia praedico. Ad ſenectutem et canitiem uſque ne me derelinquas, dum potentiam tuam et virtutem poſteris annunciem. Benignitas tua infinita eſt. Tu magna patraſti, Deus, quis tui eſt ſimilis? Multis quidem anguſtiis et calamitatibus me obruiſti, ſed vitam mihi reddidiſti et ex Orco aſcendere feciſti, majeſtatem meam auxiſti, meque ſolatio erexiſti. — Ego grates tibi agam nablio, fidei tuae, Deus mi, ego a te redemtus tibi pſallam. Lingua mea quolibet die benignitatem tuam exprimet. Sed mala mihi intendentes pudore, ignominia afficiantur.

Pſ. 49. Audite haec omnes populi, auſcultate omnes orbis habitatores; tam ignobiles quam nobiles, divites et egeni. Os meum ſapientiam eloquetur, et animus enunciabit dicta prudentia. Aurem meam ad parabolam advertam, fidibus canam carmen meum. Quare mihi metuerem adverſo tempore, cum malitia perſecutorum meorum me cingit, qui opibus ſuis fidunt, deque magnis divitiis ſuis gloriantur. Nemo poteſt alterum a morte redimere, nec Deo λυτρον ſolvere. Redemtio vitae illorum pretioſior eſt, nunquam conſequenda, ut nimirum quis in perpetuum vivat, nec in putredinem abeat. Sed videt ſapientes aeque mori, ac ſtulti et inſipientes pereunt, aliisque opes ſuas relinquunt. Sepulcrum illis eſt domus aeterna, domicilium perpetuum, qui pro-

vinciis nomina impoſuerunt. Homo in ſplendore non permanet, ſimilis eſt beſtiis, quae pereunt. Haec eſt ſors eorum, quibus fuit fiducia, quos poſteri ore ſuo laudant. Sicut grex ovium in Orcum disgregantur, mors paſcit eos, probi mane eos pedibus calcabunt, ſpecies eorum abſumetur, Orcus eam marceſcere faciet. — At me Deus ex Orco liberabit, nam me recipiet. — Noli timere, ſi quis dives ſit, ſplendor domus ſuae augetur. Etenim in morte nil ſecum aufert, divitiae eum non ſequuntur. Nam ſe ipſum beatum praedicat in vita ſua, et te laudat, ſi genio tuo indulges. Ingredietur domicilium majorum ſuorum, qui nunquam amplius aura fruentur. Homo in ſplendore, qui non ſapit, ſimilis eſt beſtiis, quae pereunt.

Pſ. 6, 6. Nam in morte tui non eſt recordatio, in Orco quis tibi gratias aget?

Eccleſ. 3, 19 - 21. Idem accidit hominibus, quod beſtiis. Hi moriuntur ut illae. Utrique eundem habent vitae halitum. Homini prae beſtia non eſt praerogativa, nam omnia ſunt vana. Omnes ad eundem locum abeunt, omnes e pulvere conditi ſunt, et ad pulverem redeunt. Quis novit hominis ſpiritum, qui ſurſum aſcendit, et beſtiae ſpiritum, qui deorſum deſcendit? ſ. an ſurſum aſcendat; et beſtiae ſpiritum, an deorſum deſcendat.

Ad §. 59. Pſ. 71. Perſona, quae in hoc Pſalmo loquitur, eſt ſenex quidam, qui in multis calamitatibus, quibuscum olim conflictatus eſt, Deum ſenſit vindicem et defenſorem benignum. Hinc precatur, ut Deus ſibi ab adverſariis circumdato opem ferat, et ſe jam ſenem, cui vires deſint,

adjuvet. Absque dubio Davides decrepitus est autor hujus carminis, quod non fervidum et acrem animum spirat, sed senilis aetatis languore debilitatum et infirmum. Certe si post fata animum suum superstitem fore credidisset, et meliorem vitam perpetuo duraturam in regionibus coelestibus exspectasset, hanc spem suam et fiduciam in carmine non dissimulasset, in quo tot tantaque beneficia celebrat a Deo inde a juventute ad ingravescentem aetatem usque in se collata, nilque aliud a Deo expetit, quam ut se annis gravem non destituat.

צדקה in toto hoc Psalmo denotat *benignitatem divinam.* היה לי לצור מעון לבוא, *sis mihi petra domicilii, quo me recipere possim.* צור מעון, *petra, quae inhabitari potest.* Petris enim, quibus inerant specus amplae, pro arcibus munitis usi sunt, in eosque se receperunt, ut sese ab impetu hostium defenderent. Alia lectio a 40 codd. 24 editt. LXX. et Chald. probata מעוז, *petra munita*, non multum abludit ab hoc sensu. Ut locus melius intelligatur, conferamus narrationem Quinti Curtii Lib. VII. Cap. XI. de rebus Alexandri Magni: Cetera quidem pacaverat rex: una erat petra, quam Arimaces Sogdianus cum XXX. millibus armatorum obtinebat; alimentis ante congestis, quae tantae multitudini vel per biennium suppeterent. Petra in altitudinem XXX. eminet stadia, circumitu C et L complectitur. Undique abscissa et abrupta, semita peranguste aditur. In medio altitudinis spatio habet specum, cujus os arctum et obscurum est; paullatim deinde ulteriora panduntur: ultima etiam altos recessus habent. Fontes per totum fere specum manant, e quibus conlatae aquae per prona montis flumen emittunt. צוה, *promittere*, Ps. 7, 7. 44, 5. 133, 3. חומץ, *acidus*, indeque

corruptus. גוזי, *eduxisti me.* Verbum גוז est *secare*, *abscindere*, *evellere*, et particip. גוזי proprie *evellens me.* Non opus est, ut cum *Koehlero* in Repertorio litter. orient. T. XIII. p. 139. hanc lectionem in גוחי ex loco parallelo Ps. 22, 10. mutemus. כמופת, *ut prodigium multis fui*, tot malis oppressus sum, ut multi non satis mirari possent, quomodo ex illis eluctatus sim. אמרו לי idem quod sequens נועצו, *loquuntur de me hostili animo*, *consilia cudunt mihi perniciosa.* — V. 14. הוספתי על - כל - תהלתך, *ad omnem laudem tuam adjicio*, hanc novam, quod me a periculo liberaveris. לא ידעתי ספרות, *nescio enumerationes*, i. e. numerare non possum. Symmach. recte: ου γαρ οιδα ἐξαριθμησαι. גבורות, *virtutes Dei*, δυναμεις, magnae Dei res gestae. בוא בגבורות, *ingredi in virtutes*, elogium illarum adgredi, seu illas recensere velle. Alii, uti *Ludov. de Dieu*, hanc phrasin illustrant ex nota illa arabica dictione, *venire cum aliqua re* pro *afferre.* Sensus idem manet: praedicabo magnam Dei potentiam. — In v. 18. pro עד - אניד melius legendum videtur עוד, *adhuc.* לדור לכל - יבוא, *generationi omni venturae*, omnibus posteris. — V. 20. הראיתני, *experiri me fecisti.* תשוב תחייני, *reversus es*, *vivificasti me*, ad vitam me revocasti. תשוב תעלני, *reversus es*, *ascendere me fecisti*, i. e. rursus me ascendere fecisti, extraxisti. תהומות הארץ, *abyssi terrae*, inferiora terrae loca, alias תחתיות הארץ dicta, quo mortui descendere credebantur. Sens. a magnis periculis me liberasti. תסב, *vertisti te*, sec. pers. Fut. Niphal in sensu reciproco, i. e. iterum me solatio erexisti. — V. 24. ונפשי supple חזמר, *psallet.* הגה, *vocem syllabatim efferre*, *eloqui.*

Ps. 49. Argumentum hujus Psalmi est: *divitiae et opes non redimunt a morte.* Sunt divites, qui

de opulentia ſua gloriantur, et magnam arrogantiam prae ſe gerunt. Sed non eſt, cur divitiis ſuis fidentes inſolenter alios perſequantur, cum neutiquam perpetui ſint rerum ſuarum domini, ſed cito a morte auferantur, resque ſuas hexedibus relinquere cogantur. Pio Numinis cultori Deus vitam diutius conſervat, mortisque periculum ab eo avertit, quam ab homine divite, eoque impio.

Poeta praemittit exordium longius diductum a v. 1-5. חלד, *duratio*, *aevum*, indeque *mundus* certa duratione conſtans, Pſ. 17, 14. ישבי חלד, *incolae orbis terrarum*, i. q. העמים in priori membro. בני אדם et בני איש per epexegeſin exponitur per עשיר ואביון, *divitem et pauperem*. Itaque *filii hominis e terra nati* ſunt *ignobiles*. בני איש, *filii viri* (איש, *a viribus et robore* ſic dicti) ſunt *nobiles*. משל 1) *ſimilitudo*, indeque 2) *generatim carmen figurata oratione compoſitum*, *bildliche Rede*. *Inclinabo aurem meam ad carmen*, poeta ſimulat, a Deo cogitationes menti ſuggeri. Ad id, quod ſibi inſpiratur, aures advertit. חידה idem quod משל, *carmen*, a r. חיד, *inflectere*, propr. *oratio inflexa*.

Hisce praemiſſis jam a v. 6. thema ipſum pertractare incipit. למה אירא, *cur mihi metuam diebus mali*, *zur Unglückszeit*, עון עקבי יסבני, *ubi malitia perſecutorum meorum me cingit*. עקב 1) *pone fuit*, *ſpecialiter ad inſidiandum*, ut arab. عقب, hinc 2) *circumvenit*, *inſidioſe obſervavit*. עון, *iniquitas magna*. Deſcribit homines divitiis affluentes et arrogantes, qui alios opprimunt, et doloſe circumveniunt, v. 6. et 7. Pius Dei cultor hosce non metuere debet, ſibi enim Deus eſt praeſidio, illos autem repentina morte auferet, qua omnibus opibus ſuis deſtituti in Orcum deſcendunt flaccidi. Etenim (v. 8-12.) a morte nemo redimi poteſt. אח לא-איש,

nemo — alterum. פרה, *redimere*, sc. a morte, כפר, λυτρον ad redimendum. Maxima pecuniae summa soluta nemo alterum a morte redimere potest. יקר פדיון נפשם, *cara est redemtio vitae eorum*, a singular. poetice ad plural. transiit autor per enallagen numeri, quae non a corruptione textus provenit. וחדל sc. פדיון, *et cessat redemtio in aeternum*, *die Loskaufung bleibt ewig aus*, summa redemtionis nunquam satis magna est. ויחי, *ut adhuc in perpetuum vivat* etc. לא יראה השחת, *ut foveam non videat*, in sepulcrum non descendat. שחת, *fovea*, a r. שחת, *subsidere*. כי יראה, *sed videbit* sc. illam. — חכמים, *sapientes moriuntur*, *simul insipiens et stultus pereunt*, *et derelinquunt* etc. Horat. Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres. Et lib. II. od. 3:

> Cedes coemtis saltibus et domo,
> villaque, flavus quam Tiberis lavit:
> cedes, et extructis in altum
> divitiis potietur heres.
>
> Divesne prisco natus ab Inacho,
> nil interest, an pauper et infima
> de gente sub dio moreris,
> victima nil miserantis Orci.
>
> Omnes eodem cogimur, Omnium
> versatur urna; serius, ocyus
> sors exitura, et nos in aeternum
> exsilium impositura cymbae. —

V. 12. קרבם, *mediorum eorum*, haec vox in isto contextu caret sensu. LXX. Syr. Chald. melius legerunt litteris transpositis קִבְרָם, *sepulcrum eorum est* בחימו לעולם, *domus aeterna*. ודור משכנותם, *domicilium perpetuum*. Hebraei aeque ac Aegyptii recte sepulcrum nominarunt domum, quam homines perpetuo inhabitent, Eccles. 12, 5: *homo abit* אל בית עולמו, *in domum suam aeternam*. — Ante

קראו ſupple אשר, *qui*, idque referatur ad ſuffixum in voce משכנותם קראו - ארצתם, Hieronym. et Vatabl. *vocaverunt nominibus ſuis terras ſuas*, 2 Sam. 18, 18. Gen. 4, 17. Numer. 32, 38. ubi filii Ruben dicuntur יקראו בשמותם nominibus ſuis appellaſſe nomina urbium a ſe conditarum. Neque inſolens eſt hujus verbi ſaltem in Conjugat. Niphal. cum nominato objecto per על conjunctio, ut exempla docent, Devt. 28, 10. 1 Sam. 6, 2. 1 Reg. 8, 43. Jeſ. 4, 1. Alii vertunt: *quorum nomina per terras celebrantur*. קרא cum בשם denotat *celebrare alicujus nomen*, Pſ. 105, 1. Jeſ. 12, 4. Jer. 10, 25.

V. 13. ואדם ביקר בל ילין, *homo in ſplendore non permanet*. יקר, *pretium*, *gloria*, *honor*, Eſth. 1, 4. 20. Prov. 20, 15. נמשל, *aſſimilatus eſt*, כבהמות, *uti beſtiae*, (אשר) נדמו *quae pereunt*. Num autor contendiſſet, homines, ſi mortem reſpicis, beſtiis ſimiles eſſe, illos aeque atque has interire, ſi vel tenuem immortalitatis animi aut reſurrectionis mortuorum notionem habuiſſet?

זה דרכם, *haec eſt via eorum*. *Via* hebraice dicitur vel *agendi ratio*, vel *fatum* hominis. Poſteriori ſenſu h. l. accipi videtur: *haec eſt ſors eorum*, כסל למו, *quibus fuit fiducia*, i. q. הבטחים על חילם, v. 7. qui divitiis ſuis fidentes ſpem foverunt, fore, ut diutiſſime illis fruantur, nec tam mature e vita tollantur. אחריהם, *poſteri eorum*; hoc ſenſu אַחֲרִיתָם adfuit in v. 11. רצה, *bene velle*, *approbare*. LXX. ευλογησουσι. Heredes laudibus efferunt anteceſſores opulentiores. —

V. 15. 16. Divites inſtar gregis ovium in Orcum disgregantur, ibique a Plutone in paſcua deducuntur. Sed in Oreo non ſunt virentia prata, et laeti campi, quorum depaſtione ſaginentur, et pinguefiant. Sed graciles fient, formaque exte-

nuabitur. שחר a r. שחח, *disgregari*, *von einem groſsen Haufen abgeſondert*, *geſchieden werden*. Vid. not. *Münstinghe* ad hunc Pſalm., qui verbo שחח hanc ſignificationem ex pluribus locis parallelis Arabum adſtruit, eamque contra *J. W. Schroederi* objectiones defendit. Divites comparantur ovibus, *Mors* paſtori, *Orcus* loco paſcuo. מות ירעם, *mors eos paſcet*, paſtor erit. מות inducitur ut perſona, quaſi Deus inferorum, Pluto. וירדו בם ישרים לבקר, *probi calcabunt eos pedibus mane*, a r. רדה, arab. et ſyr. *pedibus calcare*. Divites faſtu inflati, qui tenuiores oppreſſerunt nihilique fecerunt, morte cito auferuntur, et pauperes ab illis vexati jam ludibrii et contemtus cauſſa *mane ſ. altero die*, i. e. paulo poſt, ſepulcrum eorum pede proculcant.

Alii hunc locum ita vertunt, ut autorem aliquam vitae poſt mortem melioris notionem habuiſſe eluceat: *probi illis mane dominabuntur*. בקר, *mane*, autem de die judicii explicant, quia judicia ſub auroram habebantur, Jer. 21, 12. cf. *Herder*, im Geiſt der hebr. Poeſ. P. I. p. 227-230. Sed quis non ſentit, hanc interpretationem eſſe longe petitam, et precario acceptam? Alii melius verbo וירדו puncta ſubjiciunt וַיִּרְדוּ, ac ſi eſſet a r. ירד, *inter illos* (בם) *ſ. una cum illis probi deſcendunt in Orcum mane*, i. e. quovis die. Sed prima, quam dedimus, explicatio nobis longe praeferenda videtur.

וצירם לבלות, *et forma eorum veteraſcet*, macreſcet. צור, ex arab. *ſpecies externa*, Jeſ. 45, 16. לבלות (היה) eſt periphraſis Futuri. Nam Lamed cum Verbo ſubſtantivo facit periphraſin Futuri, ita tamen, ut Lamed cum Infinitivo interdum abſolute ponatur, Verbo ſubſtantivo omiſſo, vid. *Schroeder*. p. 300. שאול מזבל לו, *Orcus eum*, *ſc.*

formam, gracilem reddit. מזבל aliis punctis ſubjectis efferimus מְזַבֵּל לוֹ, a r. זבל arab. زبل, *marcuit planta, flaccuit, equus extenuatus eſt, gracilisque fuit.* *Orcus* eſt paſcuum, quod non pingue, ſed exiguum et aridum pabulum praebet, quo non pinguiter paſci, i. e. molliter ſe curare poſſunt. — *Michaelis* in Supplem. p. 176. מְזַבֵּל לוֹ vertit: *in ſtercus redigit illud*, ſc. corpus, a r. זבל, arab. *ſtercoravit.* Sed veteres זבל de *habitatione*, quae eſt vis verbi hebraica, intellexerunt. *Orcus eſt illa* מְזֻבָּל, *habitatio.* Eſt nomen littera מ ab initio auctum, et ſine Dageſch in Zajin legunt, quod 22. codd. de Roſſ. non habent.

V. 16. Vitam pii ſervat Deus, eumque a mortis periculis liberat. *At me redimet ab Orco,* כי יקחני, *nam me recipit.* Haec phraſis lucem foeneratur e Pſ. 18, 17. 18: e gurgite aquarum me recipit, i. e. mortem a me adhuc removet. Alii quidem verbum לקח de receptione animi ad ſedes beatorum intelligunt juxta locum parallelum Gen. 5, 24. Sed ſupra probavimus, per לקח ibi *ablationem vitae repentinam* denotari. Caeteroquin haec explicatio communi Hebraeorum opinioni repugnat, ſecundum quam homines defuncti non in coelum evehuntur, ſed ad inferos deſcendunt. כבוד, *copia, divitiae, ſplendor,* לא כל, *nihil* in morte ſecum aufert.

Horat. Lib. Od. 11. od. 14:

> Linquenda tellus et domus et placens
> uxor: neque harum, quas colis,
> te, praeter invisas cupreſſos,
> ulla brevem dominum ſequetur.

נפשו ברך, *ſe ipſum beatum praedicare.* ויודוך, *et te laudabunt*, melius in Singular. enunciatur: ויודך, *et laudat te*, praeeuntibus LXX. et Syr. cod. caſſel-

lano. וישטיב לו, *se curare molliter*, genio suo indulgere. Ad חבוא aut נמשך suppliendum, aut legendum est יבוא. — דור, ex arab. *habitatio*. עד נצח לא יראו אור (אשר), *qui lucem non amplius adspiciunt*, ad superas regiones non redeunt. אדם ביקר ולא יבין, *homo dives, qui non sapit*, divitiis suis recti uti nescit. Hocce comma parum differt a v. 19., nisi quod ibi בל ילין pro ולא יבין legatur. LXX. Arab. Vulg. Syr. in utroque commate habent ולא יבין. Omnino haec lectio vera esse videtur, alteraque e correctione serius orta. Sunt quidem codd. qui etiam in v. 21. בל ילין legant. Sed isti aperte e v. 13. locum nostrum correxerunt. Nos, quia etiam nunc ambigitur, textum receptum expressimus.

Ps. 6, 6. מות et שאול synonymice posita videntur pro *Orco*, *die Unterwelt*. Si ex mente Davidis ea est mortuorum conditio, ut nec Dei recordentur, nec grates ei agere possint, certe illos sibi cogitavit ut alto sopore oppressos, et non beate viventes. Fere uti Virgil. Aeneid. VI. v. 390: umbrarum hic locus, somni noctisque soporae.

Eccles. 3, 19 - 21. *Homines bestiis similes sunt*, hoc thema pertractat autor. מקרה, *casus*, *sors*. רוח אחד, *unus idemque vitae halitus*. Symmach. bene αναπνοη ὁμοια πασιν. Quoad nativitatem et mortem homines et bestiae sibi similes sunt. Utrique e pulvere nati sunt, et in pulverem redigun-tur. והלך אל - מקום אחד, *in unum locum conve-niunt*, in Orcum. Nonne igitur Ecclesiastes animi immortalitatem et futuram vitam beatam negavit? Versus 21. duplex est versio, quam supra attulimus. Posteriorem praeiverunt LXX: τις οιδε το πνευμα υἱων του ανθρωπου, ει αναβαινει αυτο εις το ανω; מי יודע et שלה pro interrogativo sumitur.

Interpretes alii verba esse putarunt adversarii dubia contra immortalitatem animi moventem, alii autorem ipsum illam negare aut saltim in dubium vocare existimarunt. Sed sive vera sit, sive falsa ista explicatio, (videtur Cap. 12, 7. contradicere,) de animi immortalitate non est sermo. Nam *spiritus ad Deum rediens*, est ille vitae halitus a Deo primaevo homini inspiratus, qui ex sententia Hebraeorum in morte tanquam particula divina ad Deum retrahitur. Sensus verborum esse videtur: Quibusdam praerogativa hominis prae bestiis videri posset, quod halitus vitalis ex homine emissus ad Deum redeat, spiritus animalium ad terram descendat ibique dissolvatur. Sed hocce discrimen oculis non cernitur, ideoque non ab homine cognoscitur. Inde sequitur, longe abesse, ut ex hoc loco argumentum pro immortalitate animi Ecclesiastis autori haud incognita peti possit, ut potius contrarium inde sequatur. Cf. *Schmidts* Uebersetzung des Koheleth, und Entwurf einer Geschichte des Glaubens an Vergeltung und Unsterblichkeit bey den Juden, erste Hälfte, 8. 1797.

§. 60.

4) E libris historicis Vet. Test.

Immortalitatem animi Hebraeis non incognitam fuisse, inde quoque demonstrare voluerunt, quod homines vita defunctos consuluerint. Etenim hosce adhuc vivere, sentire, et res humanas nosse ac curare, supposuisse videntur, 1 Sam. 28, 3-20. Porro Eliam in coelum ascendisse relatum legimus. Nonne autem inde opinio elucet, illum ad sedes beatorum translatum esse? 2 Reg. 2, 1-12. Sed quod abitum Eliae in coelum attinet, per eum non tam translationem ad sedes beatorum vitam-

que perennem, quam ſubitum αφανισμον innuerunt. Manium evocatoribus autem et prophetis poteſtatem divinitus conceſſam fuiſſe ſtatuerunt, e ſtatu mortis defunctos reſuſcitandi, et tanquam viventes producendi.

1 Sam. 28, 3 - 20. Samuelem mortuum omnes Iſraelitae lugentes ſepelivere in urbe ſua Rama. Saulus autem omnes Pythoniſſas et ſciolos e terra ejecerat. Philiſtaei in unum collecti Sunemi caſtra poſuerunt, Saulus autem omnibus Iſraelitis convocatis Gilboae confederat. Saulus vero, cum caſtra Philiſtaeorum videret, valde conſternatus eſt. Itaque Jovam conſuluit, ſed reſponſum non tulit, nec per ſomnia, nec per ſortem ſacram, nec per prophetas. Hinc juſſit, ut Pythoniſſam quaererent, ad quam abiret, eamque conſuleret. Endore Pythoniſſam eſſe miniſtri reſpondebant. Tum mutato veſtitu cum duobus comitibus noctu ad mulierem hanc pervenit, dixitque: arte necromantica excita mihi quem volo. Mulier reſpondebat: tibi haud ignotum eſt, Saulum Pythoniſſas et hariolos e terra exterminaſſe, cur itaque me in periculum mortis adducis? Saulus vero jurejurando per Jovam interpoſito adfirmavit, poenam illi non eſſe hanc ob cauſſam metuendam. Mulier, quem, inquit, tibi excitabo? Samuelem, reſpondebat. Quae cum Samuelem videret, ſonora voce exclamavit: cur me decepiſti? tu enim es Saulus. Rex, noli, inquit, timere. Quid quaeſo vidiſti? Illa: divinam ſpeciem video aſcendentem e terra. Saulus quaerebat, quomodo ſit forma ejus. Illa: ſenex aſcendit pallio tectus. Cum Saulus inde Samuelem cognoſceret, genu flexo adoravit. Tum Samuel Saulo dixit: cur me vexaſti, ut me eliceres? Saulus reſpon-

debat: magnis in anguſtiis verſor, Philiſtaei me oppugnant, Deus autem a me receſſit, nec amplius mihi reſpondit, nec per prophetas, nec per ſomnia. Itaque te accerſivi, ut conſilium tuum audirem. Samuel reſpondit: cur me conſulis, ſi Jova a te receſſit, et tuus adverſarius factus eſt? Jova exſequetur, quod per me minatus eſt, regnum tibi ablatum ſocio tuo Davidi dabit; Iſraelitas autem tecum in poteſtatem Philiſtaeorum tradet; et tu cum filiis tuis cras mecum eris. Caſtra Iſraelitarum Jova in poteſtatem Philiſtaeorum tradet. Tum repente Saulus totus, quantus erat, ad terram concidit verbis Samuelis perculſus; viribus deſtitutus erat, nam per νυχθημερον cibum non ſumſerat.

2 Reg. 2, 1 - 12. Cum Jova Eliam in procella in coelum eveheret, Elias et Eliſa e Gilgale profecti ſunt. Elias dixit Eliſae: quaeſo mane hoc loco, nam Jova me miſit Bethelem. Eliſa reſpondit: per vitam Jovae et per vitam tuam juro, me te non derelicturum eſſe. Tum deſcenderunt Bethelem. Exierunt autem diſcipuli prophetarum, qui Bethele erant, ad Eliſam, eique dixerunt: num tu ſcis, Jovam hodie magiſtrum tuum abs te ablaturum eſſe? Reſpondit: ego ſcio, tacete. — Porro Elias Eliſae dixit: quaeſo mane hic, nam Jehova me Hierichuntem miſit. Ille autem reſpondit: per Jovae vitam et tuam juro, me te non eſſe derelicturum. Cum itaque Hierichunta venirent, diſcipuli prophetarum hierichuntini acceſſerunt ad Eliſam, et ei dixerunt: Num ſcis, Jovam hodie magiſtrum tuum abs te ablaturum eſſe? Ille reſpondit: ſcio, tacete. — Denique Elias dixit Eliſae: quaeſo mane hic, nam Jova me miſit ad Jordanum. Ille vero reſpondit:

per

per Jovae vitam et tuam juro, me te non esse derelicturum. Tum uterque abiit. Quinquaginta autem prophetarum discipuli profecti steterunt e longinquo e regione, utroque ad Jordanem stante. Elias pallio suo sumto et convoluto percussit aquas, quae in duas partes divisae sunt, ut uterque per aridum transirent. Cum transiissent, Elias dixit Elisae: quid tibi faciam, priusquam abs te auferar? Elisa respondit: portio ingenii tui duplex in me sit. Ille regessit: rem difficilem petivisti. Sin me, quomodo auferar, videbis, implebitur petitio tua; sin minus, non implebitur. His ita ambulantibus et inter ambulandum colloquentibus currus igneus et equi ignei adfuerunt, qui utrumque separarent. Et ascendit Elias in turbine in coelum. Quod cum Elisa videret, exclamavit: mi pater, mi pater, currus Israelis et equites ejus. Sed non amplius eum vidit. Igitur vestes suas prehendit, et in duas partes scidit.

Ad §. 60. 1 Sam. 28, 3 - 20. Duo in hoc loco inquirenda sunt. *Alterum* est, num ex hac historia pateat, tum temporis, cum facta sit, fidem immortalitatis animi extitisse? *Alterum*, quomodo ista historia dijudicanda sit?

Ii, qui immortalitatis fidem veteribus Hebraeis fuisse ex hoc loco defendunt, dicunt: qui crediderunt, Samuelem ex inferis evocari et evocatum cum Saulo colloqui, resque futuras ei praedicere potuisse, ii illum non vitae expertem sibi cogitarunt. Etsi enim libenter concedimus, totam rem a muliere dolosa fictam esse et ementitam: tamen hominibus illius aevi de certitudine νεκρομαντιας nulla suspicio suborta est. Quapropter opiniones, quas tum de statu hominis post mortem habuerint, inde cognoscere licet.

Statum mortuorum qualem finxerint, poſtea inquiremus. Sed Hebraeos in opinione fuiſſe, Samuelem apud inferos vixiſſe et ſenſiſſe, minime inde efficitur. Pythoniſſae e ſententia populorum incultorum ſunt perſonae ab artibus magicis inſtructae, quibus mortuos in Orco detentos evocare, eosque tales producere poſſunt, quales olim, cum vita fruerentur, fuerunt. Canid. apud Horat.:

> An quae movere cereas imagines,
> ut ipſe noſti, curioſus, et polo
> deripere lunam vocibus poſſum meis,
> *poſſum crematos excitare mortuos* etc.

Sic etiam Hebraei putarunt, Deum pro omnipotentia ſua infinita poſſe ex inferis homines in terram reducere, prophetisque, uti e. g. Eliſae, hanc potestatem tribuiſſe, mortuos reſuſcitandi. Inde vero colligere non licet, menti illorum notionem immortalitatis animi, vitaeque poſt mortem continuandae felicioris, qualem nos deſcribimus, obverſatam eſſe.

Sed quid de apparitione Samuelis ſtatuendum eſt? Utrum vere res geſta eſt, an mulier regi glaucoma offudit? Non dubitandum eſt, ſagam fraude et malis artibus uſam eſſe. Uti enim caeteras magas, quae et in hebraico populo, et in aliis nationibus extiterunt, nil niſi praeſtigias feciſſe non dubium eſt: ita nulla adeſt ratio, cur de hac venefica aliter judicemus. Idque eo magis, cum ea fecerit, quae doloſam et vanam mulierem prodant. Simulavit, ſe regem Saulum non agnoviſſe, quem certe non e Samuelis conſpectu, uti videri vult, demum agnovit. Et Saulus figuram Samuelis ex inferis evocati non vidit, ſed, utut erat mente perturbatus, cui facile quidvis perſuaſeris, ſenem pallio indutum aſcendiſſe ex Orco magae verbis

credidit, quae facile aliquem ſubornavit haec praedicentem, quae inde a v. 15 - 19. leguntur. —

Sed quomodo mulier ſcire potuit, Iſraelitas in proelio cum Philiſtaeis ineundo cladem accepturas eſſe, et Saulum cum filiis ſubſequenti die interfectum iri?

Nolim putes, mulierem, ſeu quisquis ab ea immiſſus fuerit, tam diſtincte fata regis futura praedixiſſe. Iſraelitas infeliciter dimicaturos eſſe, facile quidem praevidebat, at non tam certo regis interitum. Itaque quod quotidie fieri ſolet, id tum quoque accidiſſe putandum, quia rex altero die, poſtquam cum Pythoniſſa colloquium habuiſſet, occubuerit, nec non cum eo filii ejus necati ſint, verba mulieris dubia ex eventu amplificata eſſe, et famam plus addidiſſe, quam illa elocuta ſit. —

His praemiſſis nunc ipſius narrationis ſingula commata illuſtrabimus. V. 3. *Samuelem mortuum lugentes ſepelierant* etc. Scriptor repetit, quod ſupra dictum erat Cap. 25, 1. Hic luctus ſolennis fuit ceremonia funeſta in exſequiis viri magni conſueta. ברמה ובעירו, *Ramae*, id eſt, *in urbe ſua*, h. e. patria. *Vau* ſaepius ſignificationem *id eſt*, habere, exemplis *Glaſſius* p. 604. probavit. Antiquiores interpretes *Vau* in h. l. non expreſſerunt. האבות, *necromantae*, r. אוב, arab. *rediit*, inde necromantes dictus, quia mortuos reducit. Concinit Jeſaias, qui Cap. 29, 4. necromantas e terra loqui facit. Hieronymus: ut per haec verba ſignificet magorum νεκρομαντειαν, per quam animas evocare dicuntur, et tenues umbrarum, immo daemonum, audire voces. cf. *Michaelis* Suppl. p. 39. ידעני׳ם, *harioli*, qui e claſſe eorum erant, quos multa ſcire putabant. *Sunem* urbs tribui Naſcharitidi in planitie Eſdraelonenſi aſſignata. *Gilboa* erat montis jugum ſex milliaribus Romanis a Scythopoli ſeu

Bethſcheane diſſitum. — Per *Urim et Thummim* Jova non reſpondit, quia illud Abiathar ſecum ſumſerat, cum ad Davidem fugeret, Cap. 23, 6. בעלת אוב, *domina*, i. e. perita necromantiae. *Endor* erat urbs in planitie Eſdraelonenſi ſita. Haud procul aberat ab urbe Sunem, ubi Philiſtaei caſtra ſua habuerant. יתחפש, *diſſimulavit ſe*, *mutavit ſe*, a r. arab. חפש in conjugat. VII. *mutatus eſt*. Saulus veſtes mutavit, quia incognitum ſe reddere voluit. — *Noctu venerunt*. Hujusmodi praeſtigiae, qualis erat necromantia, noctu peragebantur, quibus oculis hominum ſuperſtitioſorum facilius glaucoma offundi poterat. קסמי נא לי באוב, *divina mihi quaeſo per necromantiam*. מחנקש, *laqueos ponens*, i. e. inſidians mihi. להמיתני, *ut me mortis periculo exponas*. Saulus enim mortem iis minatus eſt, qui hanc artem exercerent, ex lege moſaica, Levit. 20, 27. אם יקרך עון בדבר הזה, *ſi tibi propter hanc rem poena obtinget*, abeſt in hac jurandi formula apodoſis: Deus mihi hoc vel illud faciat; i. e. neutiquam tibi periculi aliquid metuendum eſt. עָוֹן, *poena*, Gen. 4, 13. 19, 15. Pſ. 31, 11. —

V. 12. *Cum mulier Samuelem videret*. Certe Samuel e mortuis non excitatus eſt, ſed mulier ſe illum videre et ab eo audire, regem Saulum eſſe, qui conſuleret, callide ſimulavit. — אלהים ראיתי, *deos video aſcendentes*, i. e. viros divina figura praeditos. Bene Joſephus: Θεὸν τινα τὴν μορφὴν ὁμοῖον, cf. v. 14. עֹטָה, *operiens ſe*, r. עטה, arab. *texit*. Samuelem, quem pontificatu ſummo functum fuiſſe noverat, facile ut penula opertum et ſenem ſaga deſcribere potuit. הרגזתני, *commoviſti me*. — V. 16. ויהי ערך, *et factus eſt hoſtis tuus*. עֵר, *hoſtis*, vel ex Chaldaiſmo pro צר, vel a r. עור, arab. *impetum hoſtilem fecit*. Sed ex genio linguae he-

braicae tum esse deberet לשׁך, nam verbum היה, si qualitatem indicat, sequitur Lamed. Aliam vero et commodiorem lectionem suppeditant LXX. Syr. et Arabs, וַיְהִי עִם רָשָׁךְ, *et est cum fœtio tuo*, Davide. — In v. 17. mulier pronunciat, quae antea fama cognoverat. De v. 19. jam supra dictum est.

2 Reg. 2, 1 - 12. Haec historia de ascensu Eliae in coelum triplici modo explicatur. 1) Deus, quia Elias pio fuit animo, et veram religionem magno fervore in terris propagavit, eum proemii loco vivum in sedes beatorum transtulit. Quae explicatio si vera esset, omnino Hebraei animum post fata esse superstitem et proemia benefactorum accepturum esse cognovissent. Sed nunquam scriptores V. T. *coelum* eo sensu ponunt, quo Rabbini et scriptores N. T. de sede beatorum post mortem usurpant, contra ea unanimiter docent, manes in Orcum descendere, e quo ipsis reditus non concedatur. Deinde constat, veteres populos, si quis repente evanuerit, oculisque suis sublatus sit, eum a Deo raptum et in coelum receptum fuisse credidisse, cf. Genes. 5, 24. et mythus Graecorum de Ganymedis raptu in coelum. Has propter rationes repudiandam esse censemus vulgarem interpretationem de ascensione Eliae in coelum s. loca beata.

2) Alii itaque hanc phrasin intelligunt, Eliam fulmine tactum periisse. Quam explicationem confirmare videtur, quod legimus, fuisse סערה, *procellam*, quacum fulmina et tonitrua conjuncta esse soleant. Et historia velut parallela videri possit mors Romuli a Livio L. I. c. 16. descripta: „his immortalibus editis operibus, quum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Caprae paludem haberet, subito coorta tempestas cum magno

fragore tonitribusque tam denſo regem operuit nimbo, ut conſpectum ejus concioni abſtulerit. Nec deinde in terris Romulus fuit. Romana pubes, ſedato tandem pavore, poſtquam ex tam turbido die ſerena et tranquilla lux rediit, ubi vacuam ſedem regiam vidit; etſi ſatis credebat Patribus, qui proximi ſteterunt, ſublimem raptum procella: tamen velut orbitatis metu icta, moeſtum aliquamdiu ſilentium obtinuit.„

Sed haec interpretatio per ſe non improbabilis rejicienda eſſe videtur, quia multis poſt annis Elias ad Joramum Judaeae regem litteras dediſſe 2 Chron. 21, 12. legitur.

Itaque 3) praefero illam ab *Illuſtr. Eichhornio* in bibliothec. litter. bibl. T. IV. p. 216. etc. propoſitam, *Eliam in deſertum ſeſe recepiſſe, ibique latuiſſe.* Jam antea conſilium ceperat, oculis hominum, quibus invisus eſſet, ſe ſubducendi, et in eremo deliteſcendi, quapropter ad Horebum uſque profectus eſt. Sed rediit eo fine, ut ſucceſſorem in locum ſui ſufficeret, qui ſeminario prophetico praeeſſet, 1 Reg. 19. Licet clam ſe in eremum recipere voluerit, tamen conſilium ejus diſcipulos prophetarum non latuit, qui, neſcio unde, diem diſceſſus ejus clandeſtini augurati ſunt. Eliſa eum comitabatur ad Jordanem, ubi moeſtus ab Elia in vaſtam eremum pergente receſſit.

Haec interpretatio duobus nititur argumentis: 1) diſcipuli prophetarum, qui Hierichunte verſati ſunt, neutiquam putarunt, Eliam in coelum ſublatum eſſe, ſed veniam petierunt ab Eliſa praeſide ſuo, ut quinquaginta viros ſtrenuos mitterent, ad perveſtigandum magiſtrum, ſi forte eum ſpiritus Jovae in montem aliquem aut vallem miſerit, 2 Reg. 2, 16-18. 2) Elias diu adhuc poſtea vixit, 2 Chron. 21, 12.

Se, unde narratio orta eſt, Eliam in procella in coelum aſcendiſſe? Sine dubio magnus tum erat turbo cum fragore coeli et fulgure conjunctus, cum Elias celebritatem vitaturus fugeret, vid. v. 11. Nemo vidit, quo ſe verterit. Inde fama vulgata eſt, eum in turbine ad coelos evectum eſſe, uti Romulum ſublimem raptum procella dicebant.

V. 1. בהעלות, *cum Jova aſcendere faceret*, והעלות αναγειν apud LXX. vertitur, cf. Matth. 4, 1. Act. 1, 11. *Gilgal* fuit oppidum inter Hierichunta et Jordanem ſitum. — Elias, inſcio Eliſa, ſe e conſpectu hominum ſubducere voluit, itaque modo ſe Bethelem, modo Hierichunta, modo ad Jordanem inſtinctu divino proficiſci velle perhibuit, utque Eliſa remaneret, flagitavit. Conſilium ejus, quod ceperat, ubique jam diſcipulis prophetarum innotuerat. בני הנביאים, *filii prophetarum*, i. e. eorum diſcipuli, Hebraei enim ſolebant magiſtros nominare *patres*, et *diſcipulos* vocarunt *filios*, vid. v. 12. — מעל ראשך idem quod מֵעָפֶךָ v. 9, vel מֵאָתָּךְ v. 10., *a capite tuo*, i. e. abs te, e conſpectu tuo. חי־יהוה, *vivus Jova*, i. e. ut Jova vivit, per vitam Jovae. חַי adjective ſumitur, *vivus*, Gen. 3, 20. Devt. 31, 27. חי נפשך, *per vitam animae tuae*, i. e. per vitam tuam. חי ſumitur ſubſtantive, ubi in regimine ponitur, et Jod fit quieſcens. — V. 8. וילם, *et convolvit*, r. גלם convolvere. ויחצו־הנה, *et aquae diviſae ſunt huc et illuc*, i. e. in duas partes. Per vadum Jordanis, pallio convoluto, tranſiiſſe videntur. פי שנים *portio duplex*, פי *portio*, ut מֵאָה, Devt. 21, 17. Zachar. 13, 8. ברוחך, *ſpiritus tui*, ingenii tui, doni tui prophetici. הקשית לשאול, *durum feciſti rogare*, i. rem difficilem petiviſti. Eliſa ab Elia conſtitutus eſt ſucceſſor, qui ſeminario prophetico praeeſſet. Quam ſpartam ut rite adminiſtrare poſ-

fit, optat ſibi easdem animi dotes, quas Elias habuerit, et quia omnia bona immediate a Deo effici putarunt, has animi virtutes ſibi a Deo, intercedente Elia, concedi non dubitavit. הָמוֹ הלכים - וְדַבֵּר, *illi erant ambulantes ambulando et loquendo*, cum proficiſcerentur, et inter eundum colloquerentur. וְהִנֵּה רֶכֶב אֵשׁ - אֵשׁ, *ecce aderant currus ignei, et equi ignei.* Locutio poetica absque dubio e carmine aliquo deſumta, qua fulmina ac tonitrua denotantur. Uti enim pagani Jovem tonantem curru per coelum vehi magnumque edere ſtrepitum credidere: ita etiam Hebraei Jovae ſuo equos tonantes currui junctos tribuiſſe videntur, Gen. 3, 24. Pſ. 18, 11. — *Pater mi, pater mi, currus Iſraelis et ejus equites*, dictio proverbialis, cf. Cap. 13, 14, qua ſignificatur, Eliam fuiſſe Iſraelitis praeſidio non minori, quam currus bellici eſſe ſoleant. Neutiquam alludit ad currus et equos igneos, quos videbat, nec voluit dicere, equites Iſraelitarum regis adeſſe, ut Eliam caperent et reducerent miſſos. Etenim huic interpretationi locus parallelus aperte repugnat.

§. 61.

Quid Hebraei de fatis hominum mortuorum cogitarint.

Hebraei praemia benefactorum, et malefactorum poenas, in hac vita terreſtri exſpectarunt, et Deum fata hominum pro meritis ſuis dirigere firmiter credidere. Hinc illam congruentiam inter vitae ſanctitatem et felicitatem in his terris non ſemper conſpicuam neutiquam demum in futura vita poſt mortem efficiendam eſſe ſperarunt. Attamen homines prorſus poſt fata extinctos eſſe non exiſtimarunt, ſed eos deſcendere in locum ſubterraneum profundiſſimum et tenebricoſum,

commune omnium hominum receptaculum, in quo oppreſſi alto ſopore jaceant, quiete fruantur ab omnibus aerumnis, quas in vita perpeſſi ſint, et laboribus, parum ſentiant, nec rerum terreſtrium recordentur, nec Deum laudibus efferre valeant. Hunc Orcum, quo Graeci etiam et Romani mortuos homines deſcendere finxerunt, poetae variis imaginibus deſcripſerunt et deſcriptionem ſuam exornarunt. Duos e prophetis ſerioribus ſi audis, defuncti ibi functiones ſuas continuant, rerum in terra geſtarum recordantur, loco moventur, et huc ac illuc vagantur, nec non carmina canunt. —

Unde haec notio Hebraeorum de inferno ſuo origines habuerit, ſi quaeras, reſpondemus, e ſepulcrorum ſuorum ratione. Viderunt, homines mortuos in pulverem redigi, atque in ſinu terrae recondi. Sepulcra autem excavarunt in ſpecubus ſaxoſis altos receſſus et plura penetralia habentibus, et paratis, ut cadavera eorum reciperent, qui ad unam familiam pertinuerunt. Hisce in cryptis compoſiti multi ex una ſtirpe prognati aeternum ſomnum dormiunt. Inde anſam arripientes finxerunt, locum omnibus hominibus communem alte ſub terris paratum eſſe, quo vita defuncti aeterna quiete fruerentur, triſtem, obſcurum et injucundum.

§. 62.

Sententia propoſita confirmatur locis a) e Geneſi.

In Geneſi pauca de ſtatu hominum poſt mortem leguntur, et niſi res in aliis libris clarius exprimeretur, vix certi quid ſtatuere poſſemus. Interim hoc tamen commemoratur, Jacobum que-

ſtum eſſe, quod cum luctu ad filium ſuum Joſephum, quem a feris diſcerptum et devoratum putabat, deſcenſurus ſit, Geneſ. 37, 35. Et patriarchae cum mortui ſunt, ad majores ſuos congregati eſſe dicuntur, Geneſ. 25, 8. 35, 28. 49, 29. qua locutione non tam deſcenſus ad ſepulcra ſingulis familiis peculiaria, quam ad commune omnium hominum receptaculum ſubterraneum innui videtur.

Geneſ. 37, 35. Omnes filii et filiae ejus illum conſolati ſunt, ſed nullum admittebat ſolatium, et dixit: moeſtus ad filium meum deſcendam in Orcum. Et pater illum deflevit.

Geneſ. 25, 8. Abraham reſpiravit et mortuus eſt admodum decrepitus, et ad populum ſuum receptus eſt.

Geneſ. 35, 28. Iſaacus exſpiravit et mortuus eſt, et ad populum ſuum receptus admodum decrepitus. Humarunt eum filii ejus, Eſavus et Jacobus.

Geneſ. 49, 29. Illis praecepit, ut, ſi ad populum ſuum reciperetur, ſe reconderent in ſepulcro majorum ſuorum, in ſpelunca agri Ebronis, Hethitae.

Ad §. 62. Geneſ. 37, 35. Jacobus veſte filii ſui Joſephi ſanguine conſperſa ad ſe allata, illum a fera dilaceratum et devoratum eſſe putavit, v. 33. Attamen, etiamſi haec ita eſſent, exclamat, ſe ad filium ſuum εις το שאול deſcenſurum eſſe. Certe inde patet, שאול non eſſe poſſe *ſepulcrum*, in quo Joſephus non compoſitus eſt, ſed *infernum*, in quo omnes homines, quocunque mortis genere auferantur, conveniant. שאול nempe eſt nomen Orco Hebraeorum proprium, quod unde originem

habeat, et quid denotet, paucis disputandum est. De vocis etymologia interpretes dissentiunt. Vulgo sic dictum putant, quod omnes homines *petat*, sed invita formae analogia. Praesidium quidem huic interpretationi accedere credebant ex 1 Reg. 19, 4., ubi *Elias mortem sibi optavit*: יִשְׁאַל אֶת־נַפְשׁוֹ לָמוּת, *petiit, anima sua ut moreretur.* Sed non *mors* Eliam petit, sed Elias mortem sibi petit s. exoptat. Alii deducunt vocem a שאל syr. *subduxit, e medio abstulit*, q. d. subductio s. ablatio e medio viventium, cf. *Crines.* exercitatt. hebr., *Carpzov.*, *Nic. Joh. Lette, Wahl* observatt. ad Habac. etc. — Melius *Scheidius* in dissertat. ad canticum Hiskiae p. 20. deduxit שאול a r. arab. שול, אשל, *fidere*, *mergi*, ut שאול idem sit ac Graecorum πυθμην, τοπος βαθυτατος, Gen. 25, 8. 35, 28. 49, 29. Formula solennis hisce in locis repetitur: *ad populares suos congregari.* Quaeritur, num haec nil aliud innuat, quam *in sepulcro familiae alicui proprio* condi, an majus quid denotet, *ad omnes populares suos in inferno pervenire, ibique cum illis versari.* Ego ad posteriorem sententiam accedo, quia 1) dicitur עמיו על, qua voce non *familiares*, sed *populares* denotantur, 2) Abrahamus componitur in sepulcro ab Ebrone emto, in quo nemo etsi praeter Saram adhuc conditus esset, tamen ad populares suos congregatus esse dicitur. 3) Verba מות, קבר et נאסף אל־עמו inter se clare distinguuntur, Cap. 35, 28. 49, 29. 4) Josephus jam diu ad populares suos receptus fuit, Genes. 49, 37., licet longo post tempore demum ex Aegypto in Palaestinam translatus et in sepulcro gentilitio conditus est, Jos. 24, 32. 5) Moses Deut. 34, 5. 6. in monte Nebo moritur, et locum, quo sepultus est, nemo comperit. Deum ipsum corpus ejus terra obruisse μυθικως traditur. Et hic

queque ad populum ſuum congregatus fuiſſe dicitur, Devt. 32, 49. Nonne id claro eſt indicio, per formulam illam innui deſcenſum ad locum ſubterraneum, in quo totus populus conveniat?

§. 63.

b) e libris moſaicis.

In libris moſaicis pauca quidem loca de Orco loquuntur, at haec pauca ita clara ſunt, ut dubitari nequeat, per שאול locum ſubterraneum intelligi, in quem homines poſt fata ſubmergantur. Etenim Korachum, omnesque, qui ad illum pertinuerint, a terra abſorptos eſſe et vivos in שאול deſcendiſſe legimus, Numer. 16, 28 - 33. Et Devt. 32, 22. שאול ex παραλληλου opponitur fundamentis montium, adeoque locum alte ſubter terrae ſuperficiem eſſe putarunt.

Numer. 16, 28 - 33. Sin autem Jova miraculum faciet, et terra os ſuum aperiet, illosque ita deglutiet, ut viri in Orcum deſcendant, cognoſcetis inde, Jovam illos viros ſpreviſſe. Finito hoc ſermone terra diffiſa eſt, et aperuit os ſuum, et abſorpſit illos atque domos ſuas, omnesque, qui ad Korachum pertinuerunt, et facultates eorum. Sic iſti cum omnibus ſuis vivi ad inferos deſcenderunt, terra eos operuit e medio coetu ſublatos.

Devt. 32, 22. Ignis accenſus in ira mea ardebit uſque ad Orcum, abſumet terram cum proventu ſuo, et inflammabit uſque ad montium fundamenta.

Ad §. 63. Num. 16, 28 - 33. Korachus ejusque ſocii quia ſacerdotium affectantes rebellarunt contra Moſen et Aharonem, poena extraordinaria affecti ſunt. Illos a terra abſorptos fuiſſe, et vivos

cum tentoriis et omnibus opibus ſuis in infernum deſcendiſſe relatum legimus. Inde certo certius eſt, per שאול non intelligi poſſe ſepulcrum, ſed locum profundum ſubter terrae ſuperficiem, quo, veluti in terrae motu, ſubmerſi ſunt. Indeque opinionem fuiſſe elucet, omnibus hominibus in ἅδην deſcendendum eſſe, ſive morte naturali ſive praeternaturali auferantur. —

Quid autem hac de hiſtoria ipſa ſtatuendum eſt? Num Deus revera miraculum hoc, ut Moſis autoritas confirmaretur, patravit, terramque fecit dehiſcentem, quae Korachum ejusque ſocios deglutiret? An aliter de tota re ſentiendum eſt? *Eichhornius Vir Illuſtr.* in biblioth. P. I. p. 911. 912. ſtatuit, tres viros iſtos ſeditioſos ex Moſis et Aaronis decreto vivos eſſe defoſſos una cum tentoriis et opibus ſuis. Iſta vero interpretatio mihi minime cum modo narrandi convenire videtur. Miraculum enim exſpectatur, et inſolitum quid, quo Jova potentiam ſuam demonſtrarit et Moſis autoritatem vindicarit. Itaque potius exiſtimo, illos terrae motu illis in regionibus haud inſueto eſſe in Tartarum detruſos. Quia vero mala phyſica a Deo, ut maleficos puniret, immitti putarunt: Moſes fata hominum ſibi malevolorum iniqua divinitus accidiſſe declaravit. Illa Moſen etiam praedixiſſe *autor* narrat, *quem* ſerius vixiſſe hodie pauci dubitant. — אם בריאה יברא, *ſi creaverit creationem*, ſi novum, inſolitum quid patrarit, miraculum fecerit. Recte Vulg. Sin autem rem novam fecerit dominus. Male *Michael.* in Suppl. ad Lex. Hebr. p. 149. inde collegit, illum legiſſe בריאת יברא, quam lectionem ipſe praeferendam putat. Vulgatus liberius vertit, et ſenſum, non autem verba accurate expreſſit. *Spreverunt Jovam*, rem a Jova conſtitutam. ויאת כל־לקרח, *omnes, qui*

ad Korachum pertinuerunt. Intelligendi ſunt ſervi, nam liberi Korachi patrem videntur deſeruiſſe, nec cum eo perierunt, vid. Cap. 26, 11.

Devt. 32, 22. In hoc carmine, quod ori Moſis inditum eſt, beneficia a Deo in populum iſraeliticum collata et ingrata Iſraelitarum mens commemorantur, qua a Deo deſciverunt, deos alienos et fictitios coluerunt, et Jovam irritarunt. Iſte igitur, pergit in v. 22, illis maximum afferet perniciem. Hoc vero ita exprimitur: אש קדחה באפי, *ignis erumpet in naſo meo.* קדח arab. *emicuit, profiluit, erupit*, vid. *Schultenſ.* origin. hebr. L. I. c. 2. ותיקד-עד שאול תחתית, *et ardebit ad infernum imum*, quem profunde in imis terrae quaerendum eſſe, ex altero membro patet, in quo עד שאול reſpondet phraſis מוסדי הרים, *fundamenta montium*, quos altas radices agere, ſuaque fundamenta ſub Oceano habere poetae hebraici finxerunt.

§. 64.

c) e carmine Jobaeo.

Autorem Jobiados ſi audis, Orcus in imis partibus terrae quaerendus eſt, Job. 11, 8. Cap. 38, 3. eſt tenebricoſus, et craſſa caligine obductus, Job. 10, 21. 22. Ibi reges et principes, nec non ſervi, nobiles et ignobiles, unam eandemque ſortem habent, et alta pace compoſiti dormiunt, Cap. 3, 13 - 19. Attamen manes non omni ſenſu carent, nam tremunt timore Dei, Cap. 26, 4. Orcus a poeta ceu magnum aedificium vel palatium exhibetur, in quo portae pateant, Cap. 17, 13 - 16. 38, 17. et in quo rex manium habitet, quem cum Plutone Graecorum comparare poſſis, Job. 18, 14. Etiamſi quasdam imagines ingenio

poetae tribuere velis: hoc tamen inde elucet, vulgi opinionem fuisse, εἴδωλον hominum mortuorum ad ima terrae descendere, ibique in statu versari somno simili, tristi et injucundo.

Job. 11, 8. Altiora sunt secreta Dei consilia coelo; quid facies? profundiora Orco; quid cognosces?

Job. 28, 1 - 3. Argentum homo invenit, et locum auri, quod fundunt. Ferrum e pulvere sumitur, et lapis transfunditur in aes. Finem posuit tenebris et omni extremitati. Ille scrutatur lapidem caliginis et umbrae mortis.

Job. 10, 21. 22. Priusquam abeam et non revertar, in terram caliginis et umbrae mortis, in terram obscuram, quales sunt umbrarum tenebrae, absque fulgore, cujus splendor caligini par est.

Cap. 3, 13 - 19. Nunc enim cubarem et quiete agerem, dormirem, et quies mihi esset concessa, cum regibus et terrae consiliariis, qui monumenta sibi condunt in desertis; aut cum principibus auro divitibus, qui domos suas auro implent. Aut uti abortus absconditur, ceu infantes, qui lucem non viderunt. Ibi impii cessant tumultuari, et fessi viribus quiescunt. Vincti simul tranquilli sunt, nec vocem exactoris audiunt. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber est a domino suo.

Job. 17, 13 - 16. Si jam apud inferos domum meam exspecto, et in tenebris sterno lectum meum, putredinem voco patrem, et vermes patrem et sororem meam: ubi jam est spes mea? Quis eam unquam impletam videbit? ad Orci vectes descendet, quum una in pulverem delabemur.

Cap. 38, 17. Num tibi retectae sunt portae mortis? et vides portas umbrae mortis?

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Job. 18, 14. Revellitur e tentorio ſuo, in quo ſecurum ſe putabat, et adducit eum ad regem terroris.

Ad §. 64. Job. 11, 8. Sapientia divina et ſecreta Dei conſilia ab hominibus inveſtigari nequeunt. גבהי שמים, *adſunt altitudines coeli, quid facies?* עמקה משאול, *major eſt profunditas Orco, quid cognoſces?* i. e. ſapientia Dei tam immenſa eſt ac altitudo coeli et profunditas Orci. Quid inde intelligitur? Creditum fuiſſe, quantum emineat coelum ſuper terram, tantum Orcum ſubter illam eſſe depreſſum.

Job. 28, 1-3. Sapientiam divinam ſ. ſecreta Dei conſilia ſapientiſſima, quibus mundum condidit et gubernat, nemo mortalium aſſequi poteſt. Homines quidem quaevis fere abſtruſa explorant, imo ad ima terrae penetrant, et metalla ibi abſcondita lapidesque pretioſos eruunt et in lucem protrahunt. Sed ſapientiam, quae in Deo eſt inde ab aeterno, invenire et explorare nequeunt. Haec eſt ſumma argumenti Cap. 28. כי eſt particula inchoativa, et otiatur, niſi vertere malis *profecto*. יש לכסף מוצא, *argento eſt exitus*, argentum ſuas habet venas, quibus ſe prodit, יזקו (אשר) ולזהב, *et auro, quod fundunt, eſt locus*, i. e. et aurum, e quo varia vaſa conflantur ab aurifabro, locum ſuum in terra et fluviis habet, e quo eruitur. Aurum plerumque purum invenitur, et quod cum aliis metallis mixtum eſt, illud, quia metallurgis antiquis deerat, purgare nondum potuerunt. Vulg. habet argentum venarum ſuarum principium. Sed hic ſenſus nec cum conſilio orationis congruit, quod eſt, homines occultiſſima quaevis inveſtigare, nec συναφεια ei favet in v. 2. Itaque malo cum *Michaele* pronunciare מוֹצָא, *eſt inve-*

nius,

mus, i. e. homo invenit argentum et locum auri; quae lectio etiam commati 22. aptior est, ubi fit applicatio ad sapientiam, quam homo invenire nequeat.

ברזל מעפר יקח, *ferrum e terra sumitur.* Respicitur ad matricem ferri, terram faeculentam, ואבן יצוק et lapis transfunditur in aes. Aes fit ex lapide aeroso, quem vocant Cadmiam. Fit et ex alio lapide, quem Chalcitem vocant in Cypro, ubi prima fuit aeris inventio. קץ חכלית, *finem posuit tenebris et omni extremitati*, i. e. penetravit usque ad infima terrae loca obscurissima. חכלית, *terminus, extremitas*, Cap. 26, 10. — ואבן חשך ותלמות, *investigat lapidem caliginis et umbrae mortis.* צלמות, *umbra mortis*, i. e. caligo spississima, qualis in inferno esse concipitur. Haec vox composita est ex צל, *umbra*, et מות, *mors*. Sens. Fossores metallici pertingunt usque ad extremum lapidem, quo sublato Orcus retegeretur. Plin. Lib. 33, 4: imus in viscera sacrae matris, et in sede manium quaerimus opes. Ovid. in Metamorph.: sed itum est in viscera terrae, quaeque recondiderat, stygiisque admoverat umbris, effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Job. 10, 21. 22. Jobus optat, ut Deus paululum quietis sibi adhuc concedat, priusquam moriatur, seu ad Orcum descendat, quem nunc describit horribilem, ut ארץ חשך כמו אפל צלמות, *terram caliginis et umbrae mortis*, tenebricosam. כמו He intensivo, obscuritas summa, quae e vertigine oritur, a ערה, *gyrare*. Tanta obscuritas, כמו אפל צלמות, *qualis in inferno esse solet.* ולא סדרים bene LXX. και ουκ εστι φεγγος, ubi non est lux. Rad. סדר arab. *praestrictos habere oculos prae fulgore*, ויחשע כמו אפל, *et splendet sicut caligo*; quod ibi splendidissimum est, comparari potest cum eo,

quod apud nos tenebricosum est. Lux meridiei inferni similis est mediae noctis tenebris. Cf. Virgil. Aeneid. v. 390: umbrarum hic locus, somni noctisque soporae.

Job. 3, 13-19. Ad Orcum omnes homines descendunt, nobiles et ignobiles, ipsi quoque infantes, et liberi sunt ab omnibus hujus vitae aerumnis et laboribus molestis. Jobus nempe sibi optat, ut vel ante nativitatem vel statim post nativitatem mori sibi contigisset, quia tum sibi liceret quiete frui in inferno. Si statim, postquam partu editus eram, mortuus essem, v. 11, *jam cubarem et quiescerem, dormirem*, אז ינוח לי, *tum mihi quies esset*. ינוח videtur esse nomen, quod aliis est מְנוּחָה. *Cum regibus et consiliariis terrae*, המלכים חרבות למו, *qui deserta sibi aedificant*, i. e. in desertis monumenta sepulcralia s. splendida mausolea exstruunt. Non a vero abhorret, autorem rerum aegyptiarum haud ignarum ad magnifice exstructa mausolea regum aegyptiorum, pyramides altas, alludere. *Aut cum principibus auro divitibus, qui domos suas auro replebant*, quamdiu vixerunt, palatia sua argento argenteisve vasis exornarunt. Per *domos* vero etiam *sepulcra* intelligi possunt, quae Hebraei aeque ac Aegyptii domos aeternas, בית עולם vocare consuerunt, Eccles. 12, 6. Jes. 22, 16. 14, 18. 19. *Pocockius* in not. ad Specim. histor. Arab. observavit, conditoria veterum Arabiae regum auro, argento, gemmis aliisque rebus pretiosis referta fuisse. —

V. 17-19. Descriptio sequitur, quonam in statu defuncti in Orco agant. Illis est remissio ab omni miseria et molestia, tyrannorum injuria non vexantur, quiescunt et dormiunt. רשעים oppositi יגיעי כח sunt iniqui dominatores, tyranni, qui alios vexant, viresque hominum potestati suae

ſubjectorum nimia laborum mole obruunt et exhauriunt. Hi חדלו רגז, *ceſſant a commotione*, deſinunt alios moleſtiis agitare, et tumultum ciere. נגשו, *exactor*, qui ſervitia ac operas exigit, Exod. 3, 7. 5, 6. 10. 13.

Tetrior et horridior eſt Hebraeorum Orcus, quam Graecorum. In *illo* enim manes dormiunt, et fere nil ſentiunt. In *hoc* vivunt, ſentiunt, rerum praeteritarum recordantur, colloquuntur inter ſe, ludunt, iisdemque rebus delectantur, quibus in ſupernis regionibus delectati ſunt. Sed ſerius poetas Hebraeos eandem fere ideam ſibi finxiſſe inveniemus.

Job. 17, 13 - 16. Nullam ſibi ſpem ſupereſſe Jobus contendit. Se nil niſi mortem ſperare, et ſpem ſuam ſecum ſub tumulo reconditam. *Si exſpecto, ut Orcus ſit domus mea, ſi ſtravero in tenebris cubile meum*, i. e. ſi nil ſpero niſi hoc, me in Orco cubiturum eſſe. Ad v. 14. repetas אמר, *ſi putredinem alloquor: tu es pater meus, et vermes: vos eſtis mater mea*, i. e. vos eſtis mihi familiariſſimi. ואיה אפו תקותי, *ubi tum eſt ſpes mea?* ותקותי, *et quod attinet ſpem meam*, מי ישורנה, *quis illam obſervare poteſt?* Senſ. certe inde patet, me omnem ſpem reſtitutionis in integrum abjeciſſe, et animum deſpondiſſe. *Deſcendit* ſpes mea *ad vectes Orci.* תקותי pluralis exſtat ob bis poſitum nomen. בדי, *vectes*, Exod. 25, 13. 30, 4. h. l. *peſſuli*, quibus fores clauduntur, alias בריחים dicti. Orcus itaque ſuas habet portas, (cf. locum ſequentem,) quibus peſſuli obduntur. אם ירחו על עפר נחת, *cum ſimul*, ego et ſpes mea mecum, *ad pulverem deſcendimus*. Recte LXX. ἁμοῦ κατάβασις ἐπὶ χοῦν ἔσται. נחת eſt prima perſ. plural. Fut. a r. נחת, *deſcendit*. Formula נחת על עפר eandem vim habet ac illa al-

Nullus eorum, qui ad eam ingrediuntur, redit; nullus vitae viam rurſus aſſequitur.

Proverb. 30, 15. 16. Tria non ſaturantur, et quatuor non dicunt: ſatis eſt. Infernus, uterus ſterilis, terra aquis non ſaturanda, atque ignis non dicit: ſatis eſt.

Proverb. 15, 11. Manes et inferi coram Jova retecti ſunt; quanto magis corda hominum!

Ad §. 65. Pſ. 6, 5. 6. Poeta precatur, ut Deus ſibi ſanitatem corporis reſtituat, ut vivus benignitatem Dei celebrare poſſit, quam, ſimul vivere deſierit, laudibus efferre nequeat, quia mortui in Orco nil agant, nil ſentiant. זכר reſpondet to זרה, hinc idem eſt ac תודה, *laus*, Cant. 1, 3. Pſ. 30, 8. Hoſ. 14, 8. — Eandem adhuc ſententiam diu poſt Hiskias profitetur, Jeſ. 38, 18: Orcus tibi grates non agit, mors te non laudat; deſcendentes in foveam fidem tuam non celebrant.

Pſ. 30, 12. Carmen evchariſticum a Davide decantatum, cum a morbo convaleſceret, cum ita aegrotaret, ut in ſummo vitae periculo verſaretur, Deo hoc modo ſupplicavit v. 10: מה בצע בדמי, *quid tibi lucri eſt in ſanguine meo effundendo*, i. e. ſi me morti tradis, ſeu, uti mox addit, ברדתי אל שחת, *cur ego deſcendo ad foveam?* עפר, *humo in pulverem redactus.* Sententia hoc quoque loco repetitur, mortuos, utpote mentis inopes et ſine ſenſu, divinas virtutes laudare non poſſe.

Pſ. 88, 11-13. Elegia hominis, qui diu cum morbis et doloribus conflictatur, ſuisque familiaribus et amicis taedio eſt ac faſtidio, ideoque Deum implorat, ut mala ſua leniat. Cauſſam, qua Dei miſericordiam commovere vult, adfert, quia Deus non defunctis, ſed vivis benefacere ſoleat, pro

eſt inferno rex, qui *Belial* dicitur, qui ceu venator retia, laqueos et decipulas habens hominum vitae inſidiatur, illosque captos in profundum dimittit. Flumina ibi ſtrepunt Pſ. 18, 5. 6. Jova ibi aeque ac in coelo praeſens eſt, Pſ. 139, 8. Proverb. 15, 11. — Orcus eſt amplus, ſuosque habet receſſus et valles profundas, Proverb. 9, 18. Mors ibi in interiori palatii ſui conclavi ſedem habet, Proverb. 7, 27. 2, 18. 19. et inſatiabili homines devorandi aviditate agitatur, Proverb. 30, 16.

Pſ. 6, 6. In morte nulla eſt tui recordatio, quis tibi in Orco grates aget?

Pſ. 30, 12. Quid lucri tibi erit, ſi deſcendero ad foveam? num grates tibi aget pulvis? num fidem tuam annunciabit?

Pſ. 88, 11-13. Num cum mortuis miracula patrabis? num vita defuncti reſurgent et tibi grates canent? Num benignitas tua in ſepulcro celebrabitur, fides tua in abyſſo? Num res tuae mirabiles in tenebris cognoſcentur, et benignitas tua in terra oblivionis?

Pſ. 49, 8. 16. vid. §. 59.

Pſ. 139, 8. vid. §. 15.

Pſ. 18, 5. 6. Funes mortis me circumdederunt, et flumina Belialis me terruerunt. Funes Orci me cinxerunt, laquei mortis me anteverterunt.

Proverb. 9, 18. Ille vero ignorat, manes ibi degere, atque invitatos ab ea in vallibus inferni.

Proverb. 7, 27. Ejus domus via eſt ad inferos, deducens ad conclavia mortis.

Proverb. 2, 18. 19. Nam deorſum ad mortem declinat domus ejus, et ad manes ejus viae.

Pſ. 18, 5. 6. Davides enumerat innita eaque maxima pericula vitae, quibus obnoxius fuerat, et laetatur de liberatione ex illis, quae ſibi ope divina obtigerit. Exhibet autem ſe ipſum veluti ad Infernum ſubmerſum, unum jam pedem in cymba Charontis habentem, cum Deus in tempeſtate allatus adveniret, ei ſuccurreret, et ex undis eum retraheret. *Funes mortis et fluvii* etc. מות et בליעל ſibi invicem reſpondent, ideoque idem denotant. Poeta autem mortem ut perſonam fiſtit, et quidem uti venatorem, qui laqueos et retia tendit, ut hominum vitae inſidias ſtruat, illosque irretitos ad Orcum demittat, Pſ. 91, 3. Prov. 14, 27. Pſ. 91, 3. מות et בליעל igitur eſt nomen *Dei inferorum*, Plutonis, מות Pſ. 89, 49; בליעל propr. a בלי, *non*, et יעל, *altus*, ſonat *minime altus*, i. e. ſubterraneus. Quemadmodum vero mythologia graeca Orco flumina tribuit, Stygem et Acherontа, quae manibus tranſeunda erant; ita etiam Hebraeorum poetae flumina infernalia finxerunt ibi ſtrepentia. Originem fabulae Hebraei non minus quam Graeci Aegyptiis debere videntur. Ipſum Graecorum nomen *Charon* eſt Aegyptium, ſic enim illis dicebatur portitor mortuorum, qui eos cymba ad ſepulcrum devehebat. Ipſe ille locus, in cujus inſula mortuos ſepelire Aegyptii ſolebant, (Moeris) lacus *Charrum* nomen retinet, cf. *Mich.* epimetr. de imaginibus ex fabula poetica deſumtis ad Lowth, p. 204, et Supplem. p. 1119.

Proverb. 9, 18. Improbitas per proſopopoeiam ſedet in alto ſolio ante fores, et viatores invitat, ut ad ſe divergant, et cibum capiant, coenam enim ſe paraſſe. Ad voluptatum et rerum illicitarum fruitionem invitat, eo jucundiores, quo magis vetitae ſint, et clam peragantur. Stolidus viator ad illam declinat, ſed neſcit, *ibi eſſe mortuos*,

et convivas in vallibus mortis versari, i. e. in summo exitii versari periculo. קראיה, *impitati ab illa*, sc. improbitate. Quomodo depingitur Orcus? est campus amplus valles habens profundas.

Proverb. 7, 27. Κακια allicit juvenes, illisque promittit voluptates sensus suaviter afficientes. Sed qui illecebris ejus se seduci passus est, certo exitio datur. *Domus ejus est via ad Orcum, ducens ad conclavia mortis.* חדר 1) *velum*, quod partem tentorii mediam et postremam a se invicem separat, 2) transfertur ad *interiora aedium conclavia*, quamquam trabibus, non velis disclusa, Devt. 32, 35. Prov. 32, 4. מות per prosopopoeiam est *Deus inferorum*, qui interiora palatii sui conclavia inhabitat.

Proverb. 2, 18. 19. Prudentia tuetur et defendit a blanditiis adulterae, *cujus domus fidit ad mortem*, שוח arab. *fidit, subsidit, immersus fuit in lutum, subsedit in fundo.* — *Orbitae ejus ad manes ducunt.* Qui rem cum moecha habet, vitam suam praesentissimo mortis periculo exponit. כל־באיה omnes, qui *ad illam*, sc. *domum*, *veniunt*, LXX. πορευομενος εν αυτη. Sed rectius ad mulierem refertur suffixum, nam בית semper est generis masculi.

Proverb. 30, 15. 16. Aenigmatice quatuor res adducuntur insatiabiles; et ne diu haesites, quaenam sint, illae recensentur. Orcus primo est insatiabilis, Proverb. 27, 20, omnes absorbet, nec unquam repletur. עצר רחם, *constrictio uteri* est *sterilitas*; uxor sterilis.

Proverb. 15, 11. Deus, sicut per omnipraesentiam suam in Orco quoque adest, Ps. 139, 8, ita per omniscientiam suam ne ea quidem, quae in inferno sunt, ei occulta sunt et incognita.

§. 66.

e) e prophetis et aliis scriptoribus circa et post tempora exilii babylonici viventibus.

Mythum de inferno posteriores prophetae, qui serius vixerunt, non modo retinuerunt, sed etiam magis exornarunt. Omnes gentes, reges populorum, nobiles et ignobiles, quin et aliae res inanimatae in Orcum descendunt, omnes eodem coguntur. Sed juxta hos prophetas umbrae non dormiunt et sensu carent, sed vivunt, ambulant, colloquuntur inter se, plorant, scommata edunt et cavillationes. Reges ibi, ceu olim in terris, insident soliis, e quibus surgentes recens advenienti Babyloniorum regi obviam eunt. Eandem dignitatem et vitae conditionem umbrae retinent, quam in supernis regionibus quondam habuerunt, Jes. 14, 3 - 12. Ezech. 32, 21 - 32. — Secundum Ecclesiastem autem nulla est agendi facultas et scientia aut ars apud inferos, Cap. 9, 10.

Jes. 14, 3 - 12. Tempore, quo Jova tibi quietem concedet a labore et motu tuo, et a dura servitute, qua te oppressérunt, proferes hoc carmen de rege Babyloniae, et dices: quomodo quievit exactor, quievit auro splendida. Jova baculum impiorum fregit, virgam dominorum; *quod percussit* iratus gentes plaga non cessante, et saevus dominatus est in gentes persecutione non cohibita. Quieta, tranquilla est tota terra; personant cantu. Etiam abietes de te laetantur, cedri Libani. Ex quo cubas, inquiunt, non ascendit, qui nos excindat. — Orcus in inferioribus locis in occursum tui commovetur, excitat tibi manes, omnes hircos terrae e soliis suis excitat, omnes reges gentium. Omnes canere incipiunt: Tu quoque, sicut nos,

attritus, noſtri ſimilis factus es. Detruſa eſt in Orcum dignitas tua, ſtrepitus nabliorum tuorum. Vermes tibi ſubſtrati ſunt, te lumbrici tegunt. Quomodo de coelo decidiſti, lucifer fili aurorae, exciſus, proſtratus humi jaces, tu olim populorum domitor!

Ezech. 31, 14 - 18. Quod factum eſt, ut ſibi caveant aliae arbores ab iſta tali ſuperbia propter altitudinem ſuam, nec ſua cacumina ad nubes uſque efferant, nec in alios ejusmodi magnitudinem nimis admirentur. Nam omnes morti tradentur: ad inferos, ad alios dudum mortuos omnes tandem pervenient. Quando igitur, inquit Dominus Jova, iſta cedrus ad inferos deſcendet, efficiam, ut ſummus ubique luctus exiſtat, ut aquae ſubterraneae lugeant, flumina ſubſiſtant, et aquae multae cohibeantur. Libanus adeo ipſa de ea contriſtabitur, omnesque ſilveſtres arbores ſtabunt exanimatae. Quam ſi cecidiſſe audient gentes, vehementer commovebuntur, ſi eam ad inferos detruſero, ſolatium quoddam percipient in inferiori iſta regione arbores Edenis lectiſſimae, olim aquarum potatrices, Libani ornamenta. Nam et haec aeque ac illa deſcenderunt ad infeſos, ad alios interfectos, et quicumque ex aliis gentibus a potentia ejus defenſionem ſperaverant. Tunc, o Pharao, illi ſimilis es, magnitudine et gloria inter alias Edenis arbores inſignis? Dejicieris ut illae ad barathrum inter barbaros, inter occiſos gladio jacebis. — Haec erunt fata Pharaonis et populi ſui, inquit dominus Jova.

Ezech. 32, 18 - 32. Deplora homo Aegyptum, vaticinare, eam non minus ac alias gentes nobiliſſimas ad ima terrae ad mortuos deſcenſuram eſſe. Cuinam praeſtas? deorſum, et recuba inter

alios barbaros. Immo cadent cum aliis ferro interfectis. Gladio tradentur, rapient eam et homines ejus ad ſepulcrum. Alloquentur eam heroum principes, orci incolae cum auxiliatoribus ſuis, qui jam deſcenderunt, et jacent inter barbaros ferro trucidatos. Ibi eſt Aſſur cum hominibus ſuis inter multa ſepulcra gladio occiſorum. In lateribus foveae ſepulcra eorum excavata ſunt, omnes haec ſepulcra replent, gladio interfecti, qui, dum viverent, terrori erant. Ibi et Elam cum hominibus ſuis, omnes enſe confecti, ut dignum eſt barbaris, venerunt ad ima terrae. Qui vivi alios terrebant, jam ignominioſe ad mortuos ſunt detruſi. Aſſignatum eſt ei et hominibus ſuis ſuum cubile inter alia barbarorum et gladio occiſorum; qui inter vivos timendi turpiter in barathro jacent inter multos occiſos. Ibi quoque Moſchi et Tibareni cum ſuis ſunt ſepulti, omnes barbari gladio interfecti, quod vivi aliis erant formidabiles. Decumbunt cum heroibus iſtis, qui e profanis ceciderunt et ad inferos deſcenderunt cum armis ſuis, gladiis ſubter capita ipſorum repoſitis, poenam luentes peccatorum ſuorum, quod cum vivebant, aliis fuere terribiles. Sic tu quoque Aegypti rex inter alios barbaros ferro trucidatos confectus jacebis. Ibi et Edom cum regibus ſuis et principibus, qui nihil eos juvante virtute ſua jacent inter occiſos et ſepultos. Ibi principes Aquilonis omnes et Sidonii, qui deſcenderunt ad occiſos, utut terribiles et potentes, turpiter victi cubant jam inter alios barbaros, poenam ignominioſam luentes cum aliis mortuis.

Quorum aſpectus ſolatium quoddam praebebit Pharaoni de ſuorum hominum fato. Pharao cum exercitu ſuo gladio peribit, inquit Dominus

Jova. Terribilis fuit, me permittente, aliis in vita ſua. Jam cubabit inter alios barbaros gladio jugulatos cum exercitu ſuo omni, inquit Dominus Jova.

Eccleſiaſt. 9, 10. Omnia, quae tibi peragenda ſunt, alacriter perage, nam nulla amplius agendi facultas aut ſcientia aut ſapientia eſt apud inferos, ad quos tibi abeundum eſt.

Ad §. 66. Jeſ. 14, 3-21. Caput XIII. et XIV. continent vaticinium contra regnum Babylonicum. Si inſcriptioni fidem habemus, ejus autor eſt Jeſaias. Verum enim vero, cum liber, qui a Jeſaia nomen habet, anthologiam carminum propheticorum contineat, non mirum cuidam videbitur, ſi ei hoc oraculum abjudicamus, illudque a propheta, qui circa exilii babylonici tempora vixerit, editum eſſe exiſtimamus. Etenim Jeſaias de regnis ſua aetate florentibus loquitur, iisque vel bonam vel malam ſortem annunciat; at non eſt prophetarum mos, ad remotas nationes et diu poſt vigentes ſeſe transferendi, earumque fata accuratius delineandi. Babylonii Jeſaiae aetate nondum potentes, nec Judaeis formidabiles fuerunt. Hi ab Aſſyriis praepotentibus ſibi metuerunt, quos Jeſaias non ſaepe in oraculis ſuis perſtringit. At qui occaſum regni babylonici irridet, is circa illud excidii tempus vixiſſe videtur.

Autor Judaeos loquentes inducit et carmen triumphale canentes de excidio regni babylonici. בְּיוֹם הָנִיחַ, *tempore, quo quietem* Jova *tibi*, o Judaea, *concedet*, מֵעִצְּבֶךָ, *a moerore tuo* etc. *a ſervitute, qua* עֹבֵד בָּךְ *laboratum eſt in te.* Melius forſitan pronunciatur עָבַד, *qua te in ſervitutem redegit*, hanc enim vim verbum עבד ſequente praepoſ.

tione *Beth* habet, Jer. 34, 9. משל, *figurata oratio*, indeque *carmen* quodlibet, h. l. triumphale, invectivum. נגש, *exactor*, rex Babyloniae. Reges Habeſſyniae inde *Negus* nominantur. מרהבה, *vox Armaeo*, a nomine זהב, *aurum*, inde מרהבה, *auro ornata*, propr. *inaurata*. Sic Apocalyps. 17, 4. interſtitione Syr. hieroſol. ſecunda Babylon vocatur מרהבא בורהבא, *obducta auro*. *Schultens.* in animadverſſ. philol. hoc verbum derivavit a רהב, *abegit*, *abſtulit*, i. *periit*, indeque vertit: *exitio dans*, *perdens*, *ſpolia agens*. Sed רהב Arabum reſpondet hebr. ו. — Uſus vocis aramaeae confirmat ſententiam noſtram, hocce vaticinium ſerius eſſe compoſitum.

Jova fregit baculum impiorum, virgam dominantium, i. e. ſceptrum regum babyloniorum. Reges antiqui fuerunt σκηπτουχοι, ſceptra manu geſtare ſolebant, eaque lignea. מכה עמים refertur ad ſceptrum, *quod percuſſit* etc. מכת בלתי סרה, *plaga non ceſſante*. Status conſtructus quoque obtinet, quando nomen intercedente particula cum voce ſequente conjungitur, vid. *Schroed.* Syntax. p. 231. §. 13. Phraſis מרדף בלי חשך reſpondet illi in priori hemiſtichio מכת בלתי סרה, ideoque מרדף eſt nomen ex Hophal ortum, uti מֻעָמָר, *perſecutio*, et חֻשְׂכָּה eſt nomen formae מֻקְטָל, *cohibitio*. Hinc prodit ſenſus: *perſecutio ſine cohibitione*, i. e. dominatur in gentes perſecutione non cohibita.

פצח רנה, *perſonare cantu*. 1) *fregit*, 2) *ſonum edidit*, *perſonuit*, vocabula enim frangendi ad *ſonos* referuntur, cf. *Schultens* in animadverſ. ad h. l. Hoc verbum autem impetſonaliter accipiendum eſt: *omnia reſonant cantu*. Ad ſpecialia poeta nunc tranſit, arbores, imo manes in Orco inducit laetantes de occaſu regis Babyloniae. Elegans eſt proſopopoeia, qua res inanimatas laetitiae ſenſu

perfusas, imo loquentes inducit, qualis est apud Virgil.: ipsi laetitia voces ad sidera jactant intonsi montes; ipsae jam carmina rupes, ipsa sonant arbusta. עליו conſtruatur cum רעלה.

Jam devenimus ad commata 9 - 11. propter quae hunc locum excitavimus. Poetice exponitur, regem Babyloniae caesum et ad Orcum esse detrusum. Manes nuncio de adventu illius ad infernum allato commoventur, obviam illi procedunt et illudunt. Ex judicio nostri vatis manes in inferno vivunt, cogitant, rerum praeteritarum recordantur, laetantur, mirantur, alios ludibrio habent. Et quemadmodum reges in his terris solio regali insidents, ita et in Orco sedem regalem habent et thronos altos. רגזה, *tremit*; id verbum adhibetur, ubi violentior affectus irae, metus, admirationis, quin et gaudii Jer. 30, 9, exprimitur. עורר et רקים aeque ad שאול pertinent, ac רגזה, nam שאול est generis communis, Hoſ. 14, 14. Job. 26, 6. Vates facer fortitan universum orcum, tum qua segniorem partem, tum qua digniorem, concitum ostendere voluit. עתודי ארץ, *hirci terrae*, idem quod עלמי גוים. Orientales insolentes tyrannos, principes crudeliores metaphora auribus nostris insolita et ingrata cum *tauris*, *hircis* et equis comparant, Pſ. 22, 13. Am. 4, 1. Ezech. 79, 18. Poeta Arabs in Schultensii Anthologia *heroes* nominavit *equos admissarios seculi sui*, יעגו cecinerunt carmen ῥιμοβαιτον, עגה arab. 1) *canere*, 2) *canere tetrastiche*, Pſ. 147, 7. Num. 21, 17. חלה, *terere*, *viribus atterere*. — הודך נבליך, *majestas tua*, *et strepitus nabliorum tuorum in Orcum detrusus est*. Sensus: tu in Orcum descendisti, simulque tua dignitas, et omnes tuae voluptates evanuerunt. הילל, *lucifer*, בן שחר, *filius auroræ*, crepusculi matutini, quo tempore lucifer fulget. Sensus: Qui summa

eaque splendidissima autoritate ornatus eras, e *coelo decidisti*, e culmine dignitatis tuae dejectus es.

נגדעת לארץ, *succisus es in terram*; in sensu praegnanti positum, est verbum גדע, in quo latet, *et dejectus es in terram*. חלש arab. *prosternere*, *subigere*, quo sensu occurrit Exod. 17, 13. Construitur quidem חלש intercedente particula את citato loco Exodi, in nostro per על. Sed haud insuetum est bibliso Hebraismo, ut verbum unum idemque particulas adsciscat non unius generis, quarum ope jungantur illi nomina, prout ex his cujusque ratio jusserit. Sic post קרא et שלח legitur et את et על, cf. *Auriviillius* in dissert. XVII. ad h. l.

Ezech. 31, 14—18. Cedrus quaedam ad magnam altitudinem excreverat, ramos acceperat validos, frondes luxuriantes. Quae arbor, cum propter pulchritudinem suam superbiret et sese nimio fastu efferret, a Deo genti barbarae tradita est, a qua succidebatur, rami ejus dissipabantur, et surcuii frangebantur. Ipsa ad inferos descendebat, et ad alias arbores lectissimas jam antea eo delapsas referebatur.

Hac allegoria vates repraesentat regem aegyptium magna sua potentia elatum, ab extera aliqua gente domitum et occisum. Descendit ad inferos, quo jam ante eum alii reges potentes et superbi praecesserant, quibus est solatio, Pharaoni idem ac sibi fatum accidisse. — Umbrae igitur in inferno vivunt, solatium percipiunt, rerum, quae fiunt, sibi conscine sunt. — Eandem ideam in capite sequenti expressam invenies.

Ad singula jam verba transeamus, quae aliqua illustratione egent. על זאת, *propter id, quod non*, i. e. ne. Illa cedri altissimae aversio facta est, ne aliae arbores sese nimis efferant. עץ שדי, *arbo-*

arbores aquis nutritae, vid. v. 4. צמרת, *ramus gracilior*, r. צטר, *gracilis fuit.* עבותים idem quod עבות, *nubes.* יעמדו - בגאותם, *ne stent ad illos propter altitudinem earum*, ſich zu ihnen wegen ihrer Gröſse hinſtellen, i. e. ne nimis earum altitudinem admirentur, et cum ſtupore animi intueantur. שתי מים, *aquam bibentes*, idem quod עצי מים arbores humores aquae abſorbentes. כי כלם - למות, *nam omnes morti tradentur.* Imaginatio Ezechielis fuit vividior, indeque factum eſt, ut imagines poeticas ab aliis jam adhibitas amplificaret, exornaret, idque nonnunquam luxuriantius, quam par eſſet. Sic in noſtro loco non homines ſolum, ſed et arbores ad Orcum, commune mortuorum receptaculum deſcendere finxit, ſub quo imaginis poeticae involucro autem homines intellexit, regem nempe aegyptium aliosque reges. —

V. 15. האבלתי, *lugere faciam*, efficiam, ut magnus luctus exiſtat. כסתי עליו תהום, *tegam propter* (על) *illam*, ſc. arborem, *abyſſum*, i. e. aquas ſubterraneas, quae in mare effunduntur, et quibus Oceanus origines debet; Prov. 3, 20. *Tegere*, obſtruere. Senſ. Regem Aegypti occiſum tota natura lugebit, fontes prae moerore obſtructi erunt, arbores Libani triſtitiam prae ſe ferent. עלפה, *langueſcenti ſimilis*, r. עלף, *texit*, Pual *tectus eſt*, animi deliquium paſſus eſt.

V. 16. Haec cedrus tam gravi ruina dejicietur, ut omnes gentes commoveantur. Orci autem incolae ex occaſu ejus ſolatium percipient. עצי - מבחר, *lectiſſimae Edenis arbores.* טוב לבנון, *ornamenta Libani.* Senſ. alii reges terrae potentiſſimi et florentiſſimi. גם הם אתו, *iſti quoque cum illo deſcenderunt*, i. e. iſti non minus quam hic rex ad inferos deſcenderunt. — וזרעו - בצלו verba

difficiliora propter obſcurius זרעו, quod vim habet: *et brachium ejus.* Fortaſſe ſocii *foedere ſibi juncti* intelligendi ſunt. LXX. et Syrus aliis punctis ſubjectis legerunt וְזַרְעוֹ, *et ſemen ejus*, quae vero mutatio parum lucis affert. *Houbigantius* ex conjectura legit וַיִּרְעוּ, *exſpirarunt.* — ישבו בצלו, *ſederunt in umbra ejus*, praeſidium et tutelam ab eo ſperarunt. ערלים, *praeputiati*, gentiles, barbari. Gentes exterae a Judaeis ita in contemtum vocabantur.

Ezech. 32, 18 - 32. Eadem notio de inferno in hoc capite expreſſa eſt, ac in praecedenti. Rex Aegypti cum toto ſuo exercitu caeſus ad inferos detruditur. Orco huic incluſi vero non vita et ſenſu deſtituti ſunt, ſed loquuntur, v. 21. Pharao cum ibi adveniret, videt alios ſibi antegreſſos, et ex eo, quod idem aliis ac ſibi evenerit, ſolatium percipit. Apertum eſt, noſtrum vatem conſentire cum illo anonymo apud Jeſaiam Cap. 14, 6. ff. Immo alii putarunt, Ezechielem carmen illud elegantiſſimum imitari. בן אדם, *fili hominis*, ex uſu ſyriaco, *homo.* המון מצרים multitudo *hominum Aegyptiorum*, populus aegyptius. והורד - ירדו בור, *deſcendere fac* illam, ſc. המון, *multitudinem*, אותה, *illam* ſc. Aegyptum *et filias gentium validarum in terram inferiorem, cum deſcendentibus in foveam*, i. e. praedic, Aegyptum et alias gentes deſcenſuras eſſe. Prophetae facere dicuntur, quae praedicunt, cf. Cap. 43, 3. 13, 8.

In v. 19. ſequitur ipſa threnodia, quam propheta de Aegypto cecinit. Itaque ſubintelligenda eſt formula לאמר, *dicendo.* ממי נעמת, *quonam pulchrior es*, cui te praefers tanquam fortiorem? Multi te potentiores, amiſſo imperio, perierunt, itaque nec tibi potentia et vires tuae proderunt. רדה

a r. ירד, *deſcende*, והשכבה Imperativ. in Hophal, *et cube*, את ערלים, *cum profanis*, barbaris. בתוך - יפלו *inter gladio confoſſos cadent*, ſc. Aegyptii. Eſt in hoc carmine uſque ad finem capitis crebra perſonae, generis et numeri permutatio, per affectum, et pro diverſo vocum reſpectu vel ad regiones et terras, vel ad harum incolas. חרב נתנה, *gladius traditus eſt*, Chaldaeis nempe. משכו ſec. alios eſt Imperativ. *trahite illam*, Aegyptum, ſc. ad mortem; ſec. alios משכו cum Metegh ſcribitur, et vertitur: *trahunt illam* ad mortem.

V. 21. Quemadmodum in Jeſaia umbrae regem babylonium advenientem in Orco alloquuntur: ſic etiam in h. l. regem aegyptium ad inferos delatum alloquuntur, et ſolatii loco ſocios malorum, qui ſimiliter ceciderint, complures enumerant. אלי גבורים, *principes fortium*, heroum principes. ידברו לו, *alloquentur eum*, ſc. regem aegyptium. מתוך שאול, *ex orco*, in quo verſantur. את עזריו, *cum adjutoribus ejus*, i. e. ipſum et adjutores ejus. ירדו שכבו - חרב, *qui* (principes) jam dudum *deſcenderunt et cubant profani gladio confoſſi*.

V. 22. Sequitur ſermo manium: שם, *ibi*, digitis monſtrando, אשור וכל קהלה, *eſt Aſſyriae populus*, סביבותיו קבריו, *circa eam*, regem Aſſyriae, ſunt *ſepulcra populi ſui*. אשר - בור, *cujus ſepulcra data ſunt in lateribus foveae, et coetus ejus* eſt circa ſepulcrum ejus, ſc. Aſſyriae, i. e. ibi rex cum toto ſuo exercitu ſepultus eſt. Senſ. Regnum aſſyriacum, licet fuerit potentiſſimum, tamen a Babyloniis deſtructum eſt.

V. 24. Manes ad aliam gentem provocant ad infernum detruſam, Elymaeos. וישאו כלמתם, *jam ferunt ignominiam ſuam cum deſcendentibus in*

foveam, ignominiose in tartarum dejecti sunt. בתוך - לה, *inter confossos dederunt cubile illi*, sc. Elymaidi. בכל המונה, *cum omni suo populo*. סביבותיו קברותיה, *circa eum*, regem, *sunt sepulcra illius*, multitudinis. — V. 26. משך, *Moschi* inter Cappadociam, Colchos, Iberiam et Armeniam ad Phasin fluvium habitantes. תבל, *Tibareni*, populus in vicinia moschicorum montium. Moschi et Tibareni illo tempore aere fundendo et poliendo claruerunt, cf. *Bocharti* Phaleg, Lib. III, c. 12. et *Mich.* Spicilegium Geographiae Hebr. exterae T. I, p. 50 - 55. ולא ישכבו, *nonne cubant*. לא pro הלא positum esse videtur. Hinc Syrus et Arabs affirmative verterunt sensum exprimentes. נפלים מערלים cubant cum aliis heroibus, *qui inter barbaras gentes ceciderunt*. Aliam lectionem exhibent LXX.: και εκοιμηθησαν μετα των γιγαντων των πεπτωκοτων απ' αιωνος. Facile apparet, eos pro נִפְלִים pronunciasse נְפִלִים, et pro עֲרֵלִים legisse עֲוָלִים. Si propheta ita scripsit, illum ad latrones, quos Moses Genes. 6, 4. describit, alludere Dathio probabile visum est. Sed tota haec lectio, si phrases in commatibus praecedentibus recurrentes נִפְלִים - עֲרֵלִים spectas, mihi videtur reprobanda. בכלי מלחמתם, *cum instrumentis bellicis*, armis suis. Victores in virtutis honorem cum armis suis sepeliebantur, 1 Maccab. 13, 29. ויהי עונותם על עצמותם, *et erat iniquitatis eorum* poena *super ossibus suis*, peccatorum suorum poenas luerunt. עָוֹן, *poena*, Gen. 4, 13. Jes. 40, 2. Ps. 32, 5.

V. 28. fit applicatio ad regem aegyptium. *Sic tu*, *Aegyptie*, *quoque frangeris* etc. — V. 29. לחות sc. אשר נתנו, *qui neci traditi sunt*, v. 25. בגבורתם, *cum virtute sua*, non obstante virtute sua, v. 30. Principes Aquilonis videntur esse Syri Judaeis ad septentrionem habitantes, c. 26, 27.

Eccleſ. 9, 10. Autor Eccleſiaſtis philoſophatur, quomodo homo tranquille agere poſſit. Inhaeret antiquiorum ideis de inferno formatis, ibi nullam eſſe artem et ſcientiam. Mortuos nil ſcire, nil cogitare, nil efficere poſſe. אשר תמצא ידך, *quod manus tua invenit*, quod tibi peragendum eſt. חשבון, *inventum multa animi intentione excogitatum, ars.*

§. 67.

Doctrina de reſurrectione mortuorum quando Hebraeis innotuerit.

Sicuti veteres Hebraei immortalitatem animi, et ſtatum, quo poſt fata aut praemia benefactorum aut poenas malorum accepturi ſint, ignorarunt, et non aliam niſi triſtiſſimam de ſtatu mortuorum in inferno dederunt picturam: ita etiam doctrina de reſurrectione mortuorum illis diu incognita fuit. In duobus vaticiniis circa tempora exilii babylonici editis reſtitutio reipublicae judaicae promittitur tropis a reſuſcitatione mortuorum deſumtis, Jeſ. 26, 19. Ezech. 37, 1 - 14. Inde colligere licet, doctrinam ipſam, a qua imagines mutuentur, autoribus tum temporis jam cognitam fuiſſe. In propheta Daniele vero fides reſurrectionis mortuorum jam clarius expreſſa videtur, Cap. 12, 1 - 3. — Unde Judaei hanc doctrinam antea ſibi ignotam acceperunt? Utrum ipſi illam ex ingenio ſuo excogitarunt, an extero populo acceptam referunt? A vero non abhorret, Judaeos, qui ſeptuaginta annos in regno babylonico vixerint, e ſyſtemate religionis Zoroaſtricae, in quo reſurrectio mortuorum tradebatur, eam petiiſſe, et inter placita religionis ſuae recepiſſe. Etenim miſeriis

hujus vitae agitati optarunt, ut tandem melior fors ſibi obtingeret. Mens autem illorum nondum ita exculta fuerat, ut animum a corpore diſtinctum et ſeparatum cogitare potuerit. In litteris ſacris antiquioribus cum legiſſent, Deum e mortuis reducere poſſe: lubentiſſime hanc doctrinam amplexi ſunt, et firmiter tenuerunt, quod e ſecundo Maccabaeorum libro non multo ſerius ſcripto, quam vaticinia Danielis poſteriora, clariſſime patet.

Jeſ. 26, 19. Mortui tui reviviſcent, cadavera eorum reſurgent, evigilabunt et cantabunt incolae pulveris, nam ros malvae erit ros tuus, et terra manes reddet.

Ezech. 37, 1 - 14. In ecſtaſi divina Jova me correptum eduxit et conſtituit in vallem oſſibus refertam. Transduxit me per omnia haec oſſa arida circumquaque, mihique dixit: homo, num haec oſſa reviviſcent? Ego reſpondi: hoc tu ſcis, Domine Jova. Tum me allocutus eſt: vaticinare de his oſſibus et dic hisce oſſibus aridis: audite effatum Jovae. Sic inquit Dominus Jova his oſſibus: ecce ego vos ſpiritu vitali animabo, et reviviſcetis. Dabo vobis nervos, carne vos induam, et cute obducam, et reviviſcetis, et cognoſcetis, me eſſe Jovam. — Tum vaticinatus ſum, uti juſſus eram. Cum autem vaticinarer, en ſtrepitus ortus eſt, oſſa oſſibus jungebantur. Vidi illa nervis et carne indui, et cute obduci, ſed adhuc ſpiritus vitalis iis deerat. Tum mihi dixit: alloquere ventum ita: Sic inquit Dominus Jova: e quatuor coeli plagis vente veni, et inſpira hisce occiſis, ut reviviſcant. Quod cum fecerim, ſpiritu vitali animati ſunt, revixerunt, et ſteterunt pedibus erecti, ingens vero eorum erat multitudo. —

Deinceps mihi dixit: homo, haec ossa sunt Israelitae dicentes: ossa nostra arefacta sunt, et spes nostra periit, nos exciſi sumus. Propterea haec meo nomine illis vaticinare: ego aperiam sepulcra vestra, et educam vos e sepulcris vestris, mi populc, et adducam vos in terram Israelitarum, et cognoscetis, me esse Jovam, cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero vos e sepulcris vestris, mi populc. Et spiritu vitali vos instruam, et reviviscetis, et collocabo vos in terram vestram, et cognoscetis, me esse Jovam. Quod promitto, efficiam, inquit Jova.

Dan. 12, 1 - 3. Illo vero tempore Michael summus princeps defensionem suscipiet populorium tuorum; gravissima enim erit eorum afflictio, qualem antea nunquam experti sunt; tum evadent, quicunque libro erunt inscripti. Multi ex iis, qui sub terra obdormierant, expergefient, alii quidem ad vitam aeternam, alii ad opprobria et ignominiam aeternam. Et qui alios instituerunt, multosque ad pietatem excitarunt, fulgebunt ut fulgor coelestis, ut stellae in aeternum.

Ad §. 67. Jes. 26, 19. Prophetia Cap. 24 - 27. ad exilium babylonicum et reditum ex illo respiciens, circa illa tempora, quibus Judaei in captivitate vivebant, edita esse videtur. In loco nostro autem reditum Judaeorum in patriam et restitutionem reipublicae judaicae locutionibus metaphoricis a resurrectione mortuorum petitis describit. מתיך, *mortui tui*, populc mi. חיה et קום, *reviviscere, resurgere e mortuis*, 1 Reg. 17, 22. Job. 14, 14. Hebraei, quibus verba composita desunt, pro illis utuntur simplicibus. נבלתי, *cadaver meum*; contextus requirit lectionem נִבְלָתֵיךְ vel נִבְלוֹתֵיהֶם,

cadavera tua, *cadavera eorum*, quam lectionem Syrus expreſſit. הָקִיצוּ וְרַנְּנוּ, *evigilate et cantate*, Imperativi. Sed melius haec verba in praeterito enunciantur, הֵקִיצוּ וְרָנְנוּ, *evigilabunt et jubilabunt*. שׁכני עפר, *incolae pulveris*, ſepulcricolae, mortui. כי טל אורות טלך, *nam ros tuus eſt ros malvae*. *Celſius* in Hierobotanico T. I. p. 459-465. probavit, אורות eſſe *malvas*, et *Michael.* in Suppl. ad Lex. hebr. p. 49. Veteres malvae magnas virtutes medicas tribuerunt, ut vel Aeſculapio ſignum daretur. Vid. Plin. hiſtor. natur. L. XX. c. 21. Jam quis ſit ros malvae, quaeras? Succum forte, latius ſumto roris nomine intelligere poſſis, aliquoties a Plinio memoratum. Sed forte mythologiae, a qua petita imago, convenientius, ipſum rorem intelligere, malvae adhaerentem, ejusque adeo foliis nonnunquam largius, in majores guttas collectum, innatantem. Rori quidem mira tribuunt fabulae judaicae. Sic טל אורות erit, medicina efficaciſſima et vivificans. Aptior imago, quod malva in ſepulcris non infrequens. Aut idem ſenſerunt, aut proxime abſunt ab hac ſententia LXX. ἡ δροσος ἡ παρα σου, ἰαμα αυτοις εστιν. חפיל, *cadere faciet*, pariet, enitetur, inde נֵפֶל, *abortus*.

Ezech. 37, 1 - 14. Prophetae Ezechieli viſio obtigit, in qua in vallem oſſibus aridis refertam delatus ſibi videbatur, quae ſe illis acclamante vivificata ſunt. Senſum hujus viſionis ipſe in fine explicat, v. 11 - 14, reſtitutionem reipublicae judaicae per illam indicari. Iſtiusmodi enim viſiones parabolarum vim habent, et in illis interpretandis easdem, quas in parabolis, regulas ſequi debemus. Uti oſſa hominum mortuorum arida revixerunt: ita et res publica judaica quaſi emortua reſtaurabitur. ויהי עלי יד יהוה, *manus Jovae erat ſuper me*, ויוצאני ברוח יי, *et me in ſpiritu Jovae edu-*

sit, i. e. ecstasi divina conceptus sum. Idem, quod in Matth. Cap. 4, 1. legimus: Ιησους ὑπὸ πνευματος εις την ερημον ἐφερετο. והתחיית num putas fieri posse, ut haec ossa reviviscant? מביא בכם רוח והייתם, *adduco ad vos spiritum, et vivetis*, inspiro vobis halitum vitalem, ut reviviscatis. רעש, *strepitus* factus est. Ossa commoveri et alia aliis jungi coeperunt, quod non sine strepitu fieri potuit. רוח אין בהם, *spiritus vitalis in adhuc deerat*. רוח vero in v. 9. est *ventus*, cui halitus vitalis affinis est. מארבע רוחות, *a quatuor ventis*, plagis mundi, Cap. 42, 20. Zephan. 2, 10. בוא רוח, *veni spiritus* vitalis, ubicumque fueris. Recte *Grotius*: Significat collectionem populi ex cunctis regionibus.

Visionis explicatio subjungitur statim a v. 10-14. *Haec ossa sunt*, repraesentant *totam domum Israelis*, non modo Judaeos, sed et Israelitas seu decem tribus dispersas. נגזרנו לנו, *excisi sumus nobis*, periimus. לנו redundat. *Aperturus sum sepulcra vestra* etc. Propheta perstat in allegoria. Per sepulcra intelligit loca exilii, ex quo exeundi permissionem accipient, et vitae civili restituentur.

Dan. 12, 1-3. Posteriora oracula Danielis inde a Cap. VIII - XII. non a Daniele ipso scripta, sed demum tempore, quo Maccabaei floruerint, supposita esse, inde recte colligitur, quia persecutio Antiochi Epiphanis et res gestae Judaeorum, nec non regum Aegypti et Syriae non tam praedictae quam descriptae sunt. Prophetae autem solebant res diu post futuras incertas vel non attingere, vel imaginibus poeticis generalioribus depingere.

Quodsi verum est, oraculum in Cap. 10 - 12. ad tempora post obitum Antiochi Epiphanis referendum esse; doctrinam de resurrectione mortuo-

rum tum inter Judaeos receptam fuisse, inde consequitur. In libris, qui durante exilio babylonico conscripti fuere, alluditur ad hoc dogma, quod a Babyloniis didicerant, et similitudines ab illo petunt. Duobus post seculis vero corpora hominum mortuorum a Deo ad vitam revocatum iri, et homines vel praemia vel poenas accepturos esse, jam a vulgo creditum est, quod ex nostro loco et secundo Maccabaeorum libro patet.

Sunt quidem, qui negent, resurrectionem mortuorum in hoc Danielis loco innui. Per *dormientes sub terra* intelligendos esse opinantur illos, qui propter persecutiones sese abdiderant in speluncis et locis subterraneis, qui virtute Judae excitati prodirent, 1 Maccab. 2, 42. 43. At verba ipsa si accuratius perpendimus, hanc interpretationem inanem esse inveniemus. Etenim nullum est dubium, phrasin ישני אדמת עפר idem valere ac שכני עפר, Jes. 26, 19. Hi autem sunt *sepulcri incolae*. Et qui ad *vitam* evigilat, v. 2., eum mortuum fuisse oportet. Autori nostro itaque persuasum fuit, martyras, qui vitam suam in persecutione Antiochi religionis causa amiserint, haud ita multo post, tyrannide persecutoris et vexatione finita, forsitan cum Messias comparuerit, resuscitandos esse, aeque ac illos, qui religionem suam abnegarint; illos fruituros esse vita beata, hos fore contemtui et aversationi. —

Michael fuit daemon tutelaris nationis judaicae, de quo in sectione de angelis plura monuimus. עמד על, *stare pro aliquo*, eum defendere. כל הנמצא בספר, *quilibet, qui inscriptus libro* sc. vitae *reperitur*, i. e. cui Deus vitam servare vult. Poetae hebraici Deo librum tribuunt, cui nomina viventium inscripta sunt. Cujus nomen deletur, ille moritur, Ps. 139, 16. דראון, *contemtus*, aversatio.

המשכילים et מצדיקים, qui alios *intelligentes et juſtos reddiderunt*, erudiverunt, in religionis et virtutis ſtudio, ne ab illa deſciſcerent, confortarunt. *Fulgebunt ut fulgor coeleſtis*, magnis praerogativis gaudebunt, felicitate fruentur.

§. 68.

De rerum fine, ſeu de conſummatione ſeculi.

De judicio extremo, in quo omnes homines vitae ante actae rationem reddere oportere ſacrae litterae N. T. conſentiunt, codex ſacer V. T. ſilet. Deus quidem ſedet judex, malos in jus vocat, et ſententiam dicit decretoriam, Pſ. 9, 6. 7, 12. Pſ. 50, 4-7. In valle Joſaphat gentes congregantur, Deus in tribunali ſedet, et jus dicit, Joel 4, 2. ſſ. Verum enim vero hoc judicium non pertinet ad homines mortuos et vitae redditos, ſed ad homines hisce in terris viventes. Atque hisce deſcriptionibus poeticis nil aliud niſi juſtitia Dei vindicativa innuitur.

Et fieri omnino non potuit, ut Hebraei antiquiores de judicio divino in interitu terrae habendo cogitarint, cum nec reſuſcitationem mortuorum, nec animi immortalitatem proprie ſic dictam agnoverint. Hoc vero faſſi ſunt, coelos et terram, uti initium habuerint, ita et finem habituros eſſe, Pſ. 102, 28. Job. 14, 12. Jeſ. 34, 4. 65, 17.

Pſ. 102, 28. Vid. §. 8.

Job. 14, 12. Vid. §. 58.

Jeſ. 34, 4. Omnis exercitus coeli contabeſcit, coeli convolvuntur uti volumen, eorumque copiae decidunt, ſicut folia a vite et ficu decidunt.

Jeſ. 65, 17. Nam ecce ego condo novum coelum et novam terram.

Ad §. 68. Jeſ. 34, 4. In hoc loco vates quidem de interitu coeli loquitur, ſed improprie. Poenas nempe divinas ingruentes depingere vult, quas comparat cum tempeſtate horrida, in qua coeli obſcurantur, ſol poſt atra nubila latet, et ſidera in terram cadere videntur. *Copiae coeleſtes* ſunt ſtellae, Gen. 2, 1. *Coeli convolvuntur* etc. Horat.: horrida tempeſtas coelum contraxit. Libros apud veteres convolutos indeque volumina dictos fuiſſe, inter omnes conſtat.

Jeſ. 65, 17. Coeli novi et novae terrae creatio neque de deſtructione hujus Univerſi neque de felicitate poſt vitam terreſtrem inchoanda explicanda eſt, in quam non cadunt, quae v. 21. et 22. leguntur. Sed poetae ſacri hac imagine uti ſolent, quando inſtaurationem et commutationem reipublicae formae in melius indicare volunt.

SECTIO TERTIA.

DE

CULTU DIVINO.

§. 69.

I) De ſacrificiis.

a) Ante Abrahamum in Geneſi.

Homines, qui Deum unum vel plures deos eſſe confeſſi ſunt, illis obſervantiam et reverentiam praeſtare non ceſſarunt. Cultus vero, quo Deum proſequebantur, opinionibus ſuis minus veris conſentaneus fuit. Quemadmodum homines muneribus delectantur: ex iisdem deos laetitiam percipere crediderunt. Et uti hominum ira donis ſedari, mala averti, inimici reconciliari poſſunt: ita et dii irati donis illis oblatis in gratiam cum hominibus redeunt, et his benefacere ac poenas ab iis averruncare adiguntur.

Antiquiſſimo aevo homines non niſi χαριστηρια Deo obtulerunt. Sic Kain primitias frugum, Abel primitias ovium Deo dederunt, Gen. 4, 4. Et Noachus aquis diluvii ſiccatis, ut gratum animum profiteretur, animalia pura et aves puras immolavit, Gen. 8, 21. Partes pinguiores, חלבים, πιονα μηρια, carbonibus impoſitae cremabantur, quarum exhalationem Deum naribus attraxiſſe ſibi gratiſſimam credebatur. Quo rectius fumus et vapor ex igni et adipe emergens coelum verſus volvebatur, eo propitiorem Deum eſſe inde augurabantur.

Genes. 4, 3 - 5. Sub finem anni obtulit Cainus de frugibus terrae Jovae oblationem. Idem etiam Abel fecit e primogenitis maxime gregis sui. Hujus quidem munus Jova gratum habuit, Caini vero oblationem est aversatus.

Genes. 8, 20. 21. Noachus struxit Jovae aram, et animalia pura et oves puras, quas sumserat, in ara obtulit victimas. Jova, cum suavem odorem odoraretur, apud se decrevit, se terram propter homines non amplius exsecraturum esse, quia cogitationes eorum malae sint inde a pueritia sua, neque deleturum esse omnes creaturas vivas, sicuti feciſſet.

Ad §. 69. Gen. 4, 3 - 5. Cf. *Ruperti* einige Bemerkungen über die Verehrung der Gottheit in den ältesten Zeiten, in Magazin für Religionsphiloſophie etc. T. V. II. p. 48. Habelus fuit agricola, et de fructibus agri Deo obtulit מנחה, *donum*, r. מנח, *donavit*. Kainus fuit pastor ovium, qui בכורות צאנו, *primogenitas suas* oves, απαρχας ovium dedit. In Oriente mos est perantiquus, ut nemini liceat principem adire, nisi dona simul reverentiae ergo afferat. Quomodo igitur licuisset, coram Deo manibus vacuis comparere? Exod. 34, 20. Sed non totas oves Deo immolarunt, חלביהם, *partes* tantum *obesas et pingues* adoleverunt. Sic apud Homerum Iliad. rhapsod. I. 460.: μηρους τ' εξε-ταμον, κατα τε κνισαν εκαλυψαν, διπτυχα ποιησαν-τες επ' αυτων δ' ωμοθετησαν. — Hoc autem fiebat מקץ ימים, *sub finem anni*. ימים denotat *integrum annum*, Jud. 17, 10. 1 Sam. 1, 3. Ponitur autem in hoc sensu elliptice pro שנת ימים, *circulus dierum*, Gen. 41, 1. Jer. 28, 3. 11. — *Jova respexit ad Habelum et ejus donum*, i. e. donum Deo gratum fuit. Unde autem hoc cognoverunt? fumus in altum volutus habebatur signum benevo-

lentiae divinae. *Vapor holocauſti aſcendit ad Jovam*, Exod. 29, 18. Levit. 1, 13. 17. 2, 2. 9. 6, 14. Homer. Il. Rhapſod. I, 317.: κνισσῃ δ' ουρανον ικεν ελισσομενη περι καπνῳ; et Plato in Alcibiade II, 13.: κνισσην δ' εκ πεδιου ανεμοι φερον ουρανον εισω Ἡδειαν· της δ' ουτι θεοι μακαρες δατεοντο, ουδ' εθελον.

Gen. 8, 20. 21. Noachus periculo vitae liberatus Deo offert χαριστηριον, victimas puras in ara a ſe exſtructa iinmolans, i. e. ea animalia, quibus homines veſci ſolebant. Nam non decebat, Deo cibum afferre, quem homines averſentur. וירח ـ ניחוח, *et olfecit Jova nidorem ſtimulantem*. De ſignificatu vocabuli ניחוח interpretes diſſentiunt. In lexicis vulgaribus explicatur *odor acquieſcentiae* ſ. *ſuavitatis*, h. e. ſumme ſuavis, ex auctoritate των LXX. et Vulg. οσμη ευωδιας, a r. נוח, *quieſcere*, Syr. *refocillatus eſt*, Chald. in Aphel *placuit*, *ſedavit*. Alii ex phraſi הניח חמה, *quieſcere facere iram*, h. e. placare, Ezech. 21, 22. 24, 13. ſubſtantivum ניחוח vertunt *expiatio*, ut ſit ריח ניחוח, *odor placaminis*. Optime autem videtur derivari a r. arab. נחח, *ſtimulavit*, *incitavit*, odor ſtimulans, *naſum titillans*, i. e. odor gratus. — Sicuti autem homines magnam voluptatem ex nidore ciborum percipiunt, ita eo magis Deum odore adipis in coelum aſcendente populi rudiores putabant, quia Deum non alio modo cibos ſibi appoſitos guſtare poſſe videbant. Et haec opinio diu propagata eſt, Exod. 29, 18. Levit. 1, 13. 17. Numer. 15, 3. nec non aeque apud Graecos atque Hebraeos obtinuit. Homer. Iliad. L. I, 65. 66.:

ει τ' αρ' ὀγ' ευχωλης επιμεμφεται ειθ' ἑκατομβης· αι κεν πως αρνων κνισης αιγων τε τελειων βουλεται αιτισασθαι, ἡμιν απο λοιγον αμυναι.

Lucian. in Timone Jovem ſic loquentem inducit: επιλελησμενοι ανδρος τοσαυτα ταυρων τε και αιγων πιοτατα καυσαντος ημιν επι των βωμων· ετι γουν εν ταις ρισι την κνισσαν αυτων εχω. Ovid. Metamorph. L. XII. v. 152. 153.:

Gujus ut impoſuit profecta calentibus aris,
et dis acceptus penetravit in aethera nidor, etc.

§. 70.

b) A tempore Abrahami uſque ad Moſen.

In hac quidem temporis periodo rara ſacrificiorum mentio facta eſt, dum Abrahamus bis, Gen. 15, 9. ff. Cap. 22, 2. ff. itemque Jacobum bis, Gen. 31, 54. Cap. 46, 1. ſacra tuliſſe relatum legimus. At non modo ſacrificia evchariſtica, ſed et ea, quae foederis cum Deo ineundi cauſſa obtulerunt, addita, et coenae ſacrificiales inſtitutae ſunt. Et parum aberat, quin Abrahamus impulſus eſſet, ut mores barbaros Phoeniciorum imitando victimam humanam mactaſſet.

Geneſ. 15, 9 - 20. Jova Abrahamo dixit: ſume vitulum trimum, itemque capram et arietem ejusdem aetatis, turturem et pullum columbinum. Has igitur ſumtas diſſecuit omnes medias, et unam partem alteri oppoſuit, aves autem non diſſecuit. Cum aves ad illa cadavera deſcenderent, abegit illas Abramus. Sole occidente Abramus alto ſopore et magno tenebrarum terrore oppreſſus eſt. Tum Jova ei dixit: ſcito, progeniem tuam in terra non ſua fore peregrinam, in qua per quatuor ſecula ſervili modo preſſi affligentur. Gentem vero, cui ſervient, puniam, et tum magnis opibus egredientur. Tu vero ad patres tuos venies quiete, canis ſparſus ſepelieris. Quarta generatio

huc

huc revertetur, improbitas Amoraeorum nondum ad maturitatem pervenit. — Deinde cum ſol occidiſſet, et tenebrae eſſent, fumus ad inſtar fornacis et flamma ignea per partes illas animalium diſſectas tranſibat. Illo die Jova foedus cum Abramo pepigit, eique promiſit, ſe progeniei illius hanc terram inde a flumine Aegypti uſque ad magnum flumen, flumen Euphratis, daturum eſſe.

Cap. 31, 54. Jacobus ſacrificium obtulit in monte, et invitavit affines ſuos, ut ſecum epularentur. Quo facto in monte pernoctarunt.

Cap. 46, 1. Iſrael cum ſuis inde profectus Berſebam pervenit, ibique Deo patris ſui Iſaaci ſacrificium obtulit.

Ad §. 70. Gen. 15, 9 - 20. Homines, dum foedera pangebant, illa ſacrificiis oblatis confirmarunt. Hunc morem Abramus, cui una cum poſteris Deus poſſeſſionem Cananaeae promiſit, imitatus eſt, et cum Deo quoque more humano foedus inter ſacrificia iniit.

Rem ipſam vero in hoc capite traditam ita explico. Abramus vitam nomadicam agens, ex inſtinctu, quem divinum habuit, ex Chaldaea in Palaeſtinam ſedem ſuam transtulit, ibique manere decrevit. Haec terra tum nondum ita exculta erat, ut paſtori libere vaganti non lati paterent campi, in quibus gregem ſuum paſceret. Aliquando autem ſomniavit, v. 1, ſe liberis adhuc carentem non ſolum prolem accepturum eſſe, ſed etiam poſteris ſuis hanc terram peculiarem fore. Imo ut fidem iſti promiſſioni haberet, Deum juſſiſſe, ut victimas pararet, ſe enim cum illo foedus more humano initurum eſſe. — Abramus pro ſeculi ſui genio hoc ſomnium eſſe divinum non dubitavit. Itaque altero die ſacrificium paravit, quale

in foederibus percutiendis ſolenne eſſet. Quod Deo gratum fuiſſe inde augurabatur, quod fumus alte in coelum gyraretur. —

Verba, quae Deo tribuuntur a v. 13 - 17, in quibus fata Iſraelitarum in Aegypto eorumque exitus accurate delineatur, non tam Dei, quam autoris hanc hiſtoriam litteris mandantis ſunt. Etenim quia ſuo tempore, quae Iſraelitis eventurint fata inde ab Abrahamo uſque ad Moſen, ſatis conſtabat, Deum illa canentem et vaticinantem inducit. Hoc inde probabile fit, quia alia vaticinia non tam perſpicue res futuras oſtendere et quaſi hiſtorice deſcribere ſolent.

משלש, *triplicatus anno*, triennis. Deus jubet quidem ut vitulum triennem Abramus accipiat, ſed cui uſui hoc fieri debeat, non adjicitur. Abramus recte intellexit, ſacrificii foederalis ergo ſe hoc mandatum accepiſſe. יבתר, *diſſecuit* etc. Foedera apud antiquos populos ita peragebantur, ut animalia diſſecarent, per quae paciſcentes tranſirent, ſe velle, ut pactum violantes eodem modo ſecarentur, ſignificantes. Inde nomen foederis ברית venit a ברה, *diſſecuit*, et dictio graeca ὁρκια τεμνειν. — *Cum aves rapaces* etc. hoc fortaſſe ominoſum videbatur, poſteros Abrahami diripiendos et vexandos eſſe ab aliis gentibus. *Tenebrarum terrore correptus eſt* etc. propter creditam Numinis praeſentiam. — In v. 13. recte docetur, Iſraelitas in Aegypto quadringentos, et non, uti vulgo ſtatuebant, ducentos et triginta annos eſſe commoratos, cum breviori temporis ſpatio vix ad tantam hominum multitudinem creſcere potuiſſent.

Venies ad patres tuos in pace, quiete. Non in ſepulcro familiae communi reconderis, nam Abrahamus ibi non ſepultus eſt, ubi majores ejus humo obruti jacebant; ſed, ad commune omnium

hominum receptaculum descendes, in quod etiam patres ejus recepti erant. דור רביעי, *post quadringentos annos redibunt.* דור de seculo centum annorum sumendum esse videtur, v. vers. 13., ubi diserte quadringenti anni numerantur. *Clibanus fumans* etc. Abrahamo in somnio victimae accensae fuisse, flammaeque in coelum ascendisse videbantur, quod Dei praesentis et faventis indicium habebatur. נהר מצרים, *fluvius Aegypti*, Nilus, Jos. 13, 3, ubi terminus terrae Israelitarum fluvio שיחור describitur, quo nomine Nilus propter fuscum et subnigrum aquarum ejus colorem intelligendus est.

Cap. 31, 54. Jacobus, quem ex Mesopotamia cum uxore et liberis in patriam fugientem Laban persecutus fuerat, cum socero foedus percutit, quod ultra citraque nolint cum pecore suo vagari, idque ut ratum fiat, sacrificium Deo offert. Simul epulas sacras instituit, ad quas cognati invitantur. אחים, *consanguinei, cognati, affines*, Gen. 24, 27. 2 Sam. 1, 26. אכל לחם, *panem comedere*, epulari.

Cap. 46, 1. Bersebae Abrahamus olim Deo sacra fecerat, et quercetum plantaverat. Puteum ibi effossum rursus Isaacus sibi vindicarat, Gen. 21, 33. Nunc sacrificat ibi Jacobus, ut et majorum memoriam ibi renovaret, et Dei voluntatem de aegyptiaco itinere exploraret.

§. 71.

c) de sacrificiis Jobi.

Incerta quidem est aetas, in qua autor carminis Jobaei vixit et scripsit; at illum voluisse, ut Jobum aetate patriarchali vixisse crederemus, indubium est. In isto carmine autem nova sacrificia commemorantur, scilicet *piacularia holocausta*, quae pro peccatis filiorum suorum, ut Deo expia-

rentur, obtulit. Nondum autem ſacerdotes conſtituti erant, quibus injunctum eſſet, ut victimas mactarent, et apud Deum deprecarentur, ſed pater familias ipſe ſacra curavit, uti quondam Abrahamus, Jacobus.

Job. 1, 4. 5. Filii ejus ſolebant epulari in domo cujuslibet die ſuo, ad quod convivium ſorores ſuas invitarunt. Diebus convivii exactis Jobus eos expiavit. Summo mane ſcilicet holocauſta obtulit pro numero filiorum ſuorum, nam Jobus cogitavit, fieri potuiſſe, ut filii ſui peccaſſent, Deumque deſeruiſſent. Hunc morem Jobus quotannis ſecutus eſt.

Ad §. 71. Job. 1, 4. 5. ויהלכו - ועשו, *filii ejus ambularunt, et inſtituerunt convivium*, i. e. conſueverunt convivia inſtituere. Nam verbum הלך aliis vocibus ſubjectum incrementum et continuitatem notat, ut הולך ואור, *procedens et lucens*, h. e. clarius clariusque lucens, Prov. 4, 18. Gen. 12, 9. 2 Sam. 3, 1. 15, 12. ביח איש (ב), *in domo cujuslibet*, יומו (ב). *die ſuo*. Jobus ſeptem habuit filios. Iſti videntur per totam ſeptimanam ſingulis diebus convivia inſtituiſſe, nam in v. 5. additur, *diebus convivii abſolutis* etc. Alii quidem יום de die natali explicant, qui *dies* κατ' ἐξοχήν dicitur, quo antiquiſſimis temporibus convivia apparare ſolebant, Gen. 40, 20. Sed formula כי הקיפו huic interpretationi contradicit. יקדשם, *ſanctificavit illos*, luſtrationibus et lotionibus, Exod. 19, 10. Qui enim ſacra facere voluerunt, puri a labe et bene loti eſſe debebant. עולה *holocauſtum*, victima tota in aram aſcendens. אולי חטאו - בלבבם, *fortaſſe peccarunt filii mei, et Deo valedixerunt in corde ſuo*, i. e. Deum neglexerunt. Verbum ברך 1) *genu flectere*, quod in ſalutando et valedi-

cendo fiebat; inde 2) *salutare*, *valedicere*. Sacrificium itaque, quod Jobus offerebat, fuit piaculare. כל־הימים, *quotannis*, vid. not. ad Gen. 4, 3.

§. 72.

d) de sacrificiis mosaicis.

Moses dum novam religionis formam induxit, non modo sacrificia confirmavit, sed etiam modum et numerum eorum definivit. Uti populum suum multa ceremoniarum piarum mole obruit ac paene oppressit: ita et varia sacrificia instituit, cruenta, et incruenta (ferta et libamina). Cruenta sacrificia erant vel *holocausta*, עולה, vel חטאת et אשם, sacrificia pro peccato et reatu, Levit. Cap. 1 - 7. vel שלמים, *sacrificia eucharistica*. Sicuti in Orientis regionibus non licitum erat, coram principe absque muneribus comparere: ita etiam Deum in adyto suo adire et ad eum preces fundere vacuis manibus non decebat. Hinc מנחה, propr. *donum*, offerebatur, qualia dona erant farina, panis, placentae, aristae, grana tosta, oleum, vinum. Caetera non erant nova sacrificia, nam holocausta et sacrificia eucharistica ac piacularia jam antea in usu fuerunt. Sed Abrahamidae non tam frequenter sacra facere consuerant, quam ex instituto Mosis facere adacti sunt. Siquidem non relatum legimus, Israelitas in Aegypto sacra feciſſe; exitum ex Aegypto in vastum desertum eo praetextu petunt, quod ibi solenne sacrificium Deo suo offerre velint. Et quamdiu per desertum oberrarunt, semel tantum sacra litasse legitur. — Haecce sacrificia *et* crimina civilia aboleverunt, *et* Deum iis reconciliari et cum hominibus in gratiam redire, imo ad beneficia in illos conferenda mune-

ribus ſibi datis veluti adigi putabatur. Moſen ipſum non aliter ſenſiſſe, indicio eſt phraſis in libris ejus repetita, ex victimis ad nares Dei odorem ſuaveolentem eique pergratum ferri.

§. 73.

e) Judicia prophetarum aliorumque ſcriptorum, qui poſt Moſen floruerunt, de pretio ſacrificiis ſtatuendo.

Omnes inculti populi, qui Deum cultu religioſo proſequi volunt, externis ritibus hunc praeclare peragi, et inprimis donis ac muneribus ſeu ſacrificiis ſe Deo probari credunt, quia Deum ex ſuo modulo metiuntur. Tum demum, cum naturam Dei diligentius examinant et animo expendunt, ſacrificiis aeque ac omnibus ritibus externis nullum plane pretium ſtatuendum eſſe intelligunt, niſi animi pietas et vitae integritas accedat. — Ad hanc maturiorem cognitionem denique etiam poſt Moſen Hebraei pervenerunt, Davides, Aſſaphus, Salomo, nec non prophetae unanimi conſenſu aſſidue declararunt, ſacrificia ſine interna mentis ſanctitate et probitate nullius eſſe apud Deum pretii, Pſ. 40, 7 - 9. Pſ. 51, 18. 19. Pſ. 50. tot. Proverb. 16, 6. 21, 3. Jeſ. 1, 11 - 18. 66, 1 - 3. Jer. 6, 20. Hoſ. 6, 6. Amos 5, 21 - 24.

Pſ. 40, 7 - 9. Sacrificio et dono non delectaris, aures mihi aperuiſti, holocauſtum et ſacrificium piaculare non deſideras. Itaque dico: en offero volumen legis pro me ſcriptum. Voluntatem tuam obſervare mi Deus volo, et lex tua mihi eſt curae cordique.

Pſ. 51, 18. 19. Non delectaris ſacrificio, alias darem. Holocauſtum tibi haud gratum eſt. Sacrificia Deo accepta ſunt animus fractus, ani-

mum fractum et contritum tu, o Deus, non ſpernis.

Pſ. 50. tot. Deus fortis Jova loquitur, et terram advocat ab oriente ſole ad ejus occaſum. E Sione, pulcra corona, Deus ſplendide procedit. Deus noſter venit, et non ſilet, ignis devorans coram eo, et circumquaque eſt turbo. Advocat coelum deſuper, et terram, ad judicium de populo ſuo habendum. Congregate mihi ſanctos meos, eos, qui foedus ſacrificando mecum pangunt. Coeli annuncient juſtitiam ejus, nam Deus eſt judex. Audi mi popule, ego loquar, Iſrael, teſtes contra te producam, ego ſum Deus, Deus tuus. —

Ego te non propter ſacrificia tua redarguo, holocauſta tua jugiter coram me ſunt. Non accipio e domo tua juvencum, nec ex ovilibus tuis hircos. Nam mihi ſunt omnes ferae ſylveſtres, beſtiae in mille montibus. Ego novi omnes aves montium, et ornamentum agrorum mihi non ignotum eſt. Si eſurio, non dicam tibi, meus enim eſt orbis terrarum, et quicquid in eo eſt. Num veſcor carne boum, et ſanguinem hircorum bibo? Deo grates pro ſacrificiis offer, et ſupremo Numini vota tua ſolve. Invoca me anguſtiarum tempore, tum ego te eripiam, et tu me honorabis. —

Impium autem Deus alloquitur: quid tibi eſt, ut enumeres ſtatuta mea, et de foedere mecum inito loquaris? Tu diſciplinam meam odio proſequeris, et praecepta mea ſpernis. Si furem conſpicis, te illi adjungis, et cum adulteris converſaris. Os tuum convicia fundit, et lingua tua fraudes nectit. Sedes, et proximum tibi probris proſcindis, et fratrem germanum impellis. Quia

te haec patrante ſileo, me tui ſimilem eſſe putas. Sed redarguam te, et tibi exprobrabo. Intelligite hoc Dei immemores, ne vos diſcerpam, et non ſit, qui liberet. Qui gratias pro ſacrificiis offert, me honorat, et haec eſt via, in qua eum ſalute divina frui permittam.

Proverb. 16, 6. Benignitate et veritate iniquitas expiatur, vera religio eſt fuga mali.

Proverb. 21, 3. Juſtum et aequum facere Jovae gratius eſt, quam ſacrificium.

Jeſ. 1, 11 - 18. Quo mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum? inquit Jova. Saturatus ſum holocauſtis; arietibus, et adipe animalium pinguium, ſanguine juvencorum, agnorum et hircorum non delector. Si venitis, ut coram me compareatis, quis a vobis flagitat, ut atria mea calcetis? Nolite amplius offerre ferta inutilia, ſuffitus mihi abominandus eſt. Novilunia, ſabbata, indictionem conventuum non poſſum ferre, nec pravitatem dierum feſtorum. Novilunia veſtra et dies feſtos ſtatutos odi, moleſti illi mihi ſunt, iisque ferendis fere feſſus ſum. Ac ſi expanditis manus veſtras, abſcondam oculos meos a vobis, et quamvis augeatis preces, non exaudiam, manus veſtrae enim ſanguine madent. Abluite, purgate vos, removete malum a vobis, ne conſpiciam, et deſiſtite malefacere. Aſſueſcite recte agere, juſtitiae operam date, emendate, quod corruptum eſt, defendite pupillum, cauſſam agite viduarum. Agite, diſceptabimus inter nos, inquit Jova. Si peccata veſtra coccini inſtar ſint, tamen uti nix albeſcent; ſi rubuerint inſtar muricis, uti lana fient.

Jeſ. 66, 1 - 3. Sic inquit Jova: coelum eſt ſolium meum, et terra ſcabellum pedum meorum.

Qualem domum mihi exſtruetis, et quis eſt locus, in quo quieſcam? Haec omnia manus mea fecit, ut iſta omnia exiſterent, effecit, inquit Jova. Reſpicio humilem et afflictum animo, dictorum meorum reverentem. Niſi quis ita affectus eſt, qui bovem immolat, mihi perinde eſt, ac ſi hominem interficiat; qui agnum mactat, ac ſi canem jugulet; qui fertum offert, ac ſi ſanguinem porcinum offerat; qui thus adolet, ac ſi idolo ſuffitum faciat. Iſti vero hanc agendi rationem ſecuti, ſuisque turpiſſimis factis delectati ſunt.

Jerem. 6, 20. Quorſus mihi thus ex Saba allatum, et canna odorifera e terra longinqua? Holocauſtis veſtris non delector, et ſacrificia veſtra mihi ingrata ſunt.

Hoſ. 6, 6. Benignitate delector et non ſacrificiis, et cognitio Dei mihi gratior eſt holocauſtis.

Amos 5, 21 - 24. Odi, ſperno dies feſtos veſtros, nec feriae veſtrae mihi placent. Sed ſi mihi holocauſta et ferta veſtra offertis, non iis delector. Et ad evchariſtica pinguium veſtrorum non reſpicio. Remove a me ſtrepitum canticorum tuorum, et ad ſonum nabliorum tuorum non auſculto. Sed volvatur uti aqua jus, et juſtitia ut aqua perennis.

Ad §. 73. Pſ. 40, 7 - 9. In hoc Pſalmo perſona loquens inducitur, e periculis jam antehac liberata, pro quo beneficio Deo grates agit, v. 1 - 11. Sed nova cum calamitate conflictatur, de qua adverſarii triumphant. Ut hanc Deus quoque avertat, autor precatur, isque Davides eſt, qui durante Abſalomi rebellione haec cecinisſe ſimulque ad Sauli perſecutionem, quam diu ante perpeſſus eſt, reſpexisſe videtur.

Senſ. v. 7. gratum ut teſter animum pro innumeris in me collatis beneficiis, velim quidem tibi cruenta et incruenta ſacrificia offerre. Sed quia tibi non aeque ſacrificia placent, ac obedientia et praeceptorum tuorum conſtans et perpetua obſervatio: tuae voluntati obſequium praeſtare paratus ſum. זבח, *ſacrificium*, et quidem ſenſu ſtrictiori *cruentum*, quo *ferto* ſ. incruento ſacrificio מנחה opponitur, non tamen prorſus concremandum, quo uſu venit עולה. — חטאה, *ſacrificium pro peccato*, piaculare, Levit. 4, 21. Exod. 30, 10, a conj. Piel חִטֵּא, *declaravit aliquem peccaſſe* ſacro piaculari, hinc *expiavit*. — Tu, o Deus, *non delectaris his ſacris, ea non deſideras*. Hoc comparative intelligendum eſt. Davides, qui legi moſaicae divinas origines non abnegavit, Deum ſacrificia improbare aut non poſtulare minime ſtatuit. Sed rectius cum jam de Deo ſentiret, pietatis et humanitatis officia, quae quis obſervarit, ei melius quam ſacrificia placere judicavit. אזנים כריתה לי, *aures excavaſti, i. e. purgaſti mihi*, tu me attentum reddidiſti, docuiſti. Haec phraſis eandem habet vim, quam illa apud Jeſ. 50, 5. פתח אזן, *aurem aperire*. — אז אמרתי, *tum*, cum edoctus ſum, te non externo cultu contentum, intimo animi affectu ut colaris, deſiderare, *dixi*. הנה באתי - כתוב עלי, *eh, venio cum volumine legis pro me ſcripto*, en manu teneo legem, in qua, quae officii partes mihi incumbant, clare litteris mandatum eſt. על, *ſuper*, debitum denotat, quod nobis incumbit, Eſr. 10, 12. Pſ. 56, 13. Jud. 19, 20. Prov. 7, 14. Ezech. 45, 17. רצונך, *voluntatem tuam*, quam in libris moſaicis patefeciſti. בתוך מעי, *in medio viſcerum meorum*, i. e. בתוך לבי, *in animo meo*.

Pſ. 51, 17-18. Pſalmum hunc alibi explicuimus. Davides perſpicue fatetur, Deum non

ſacrificiis, quae erat vulgi imperiti opinio, expiari, ſed cordis contritione, i. e. verae poenitentiae ſenſu.

Pſ. 50. tot. Finis hujus Pſalmi eſt, docere, animi gratitudine, precibus ſinceris ad Deum fuſis Deo honorem exhiberi, non ſacrificiis. Falſam eſſe ideam multorum mentibus inſitam, Deum ceu mortales homines carne victimarum veſci, et odorem exhalantem naribus ſuis attrahere.

Hanc ſententiam autem Aſſaphus poetice exornat. Deus, ut haec pronunciet, ipſe apparet, et quidem e Sione, ſede ſua, ubi majeſtatem ſuam patefacere ſolebat, et ſignis editis, quae Dei adventum comitari ſolent, apparet inter tonitrua, fulgura, turbinem, Pſ. 18, 3. etc. Habac. 3, 3 - 6. Judicium habet in publico, ideoque coelos et terram invocat teſtes, quo facto incipit rem ipſam proponere.

אל אלהים, vel *fortis Deus*, vel *Deus Deorum*, מציון מכלל יפי, *e Sione*, *corona aurea*. R. ſyr. כלל, *coronavit*. Urbes in altis montibus conditas deſcripſere ut coronas cacumini montium impoſitas, Jeſ. 28, 1. Alii a כלל arab. *conſummavit*, *perfecit*, e Sione, urbe venuſtiſſima, dem Urbild aller Schönheit. אש לפניו תאכל, *ignis devorans eum praecedit*, fulmen. נשערה מאד, *procelloſum eſt*, es ſtürmt gewaltig, 3 foem. in Niphal. — *Advocat coelos et terram, ut interſint judicio de populo ſuo habendo.* Judicia olim ſub dio habebantur. Similiter Deus in propatulo Iſraelitas in jus vocat, ut coelum et terra teſtes ſint, Devt. 32, 1. Jeſ. 1, 2. חסידי, *dilecti abs te*, Iſraelitae, populus Deo carus. כרתי - זבח, *qui mecum foedus ſacrificio pangebant*. Foedera ſacrificiis ſancita fuiſſe, ad Gen. 15, 8 - 21. notavimus. Alii זבח עלי, επι, ſub conditione ſacrificii, qui foedere icto promiſerunt, ſe

ſacrificia mihi oblaturos eſſe. העיד cum ſeq. praepoſ. ב, *teſtari contra aliquem.* — אוכיחך - לא, *non arguo te intermiſſionis ſacrificiorum etc.* Iſraelitae Deum cultu externo ſatis diligenter coluerunt, at internum neglexerunt. לא אקח, *nolo accipere.* זיז שדי, *decus agrorum*, ferae. Alii a r. chald. זוז, *moveri, quod movetur in agris*, was ſich regt auf den Feldern. אבירים, *validi.* Sic *tauri* κατ' ἐξοχήν dicebantur, Pſ. 22, 13. 68, 31. Deo victimae immolabantur, carnes illarum in ejus honorem, et ut eum ſuavi ſenſu afficerent, concremabantur. Pagani lectiſternia parabant, diis ſuis cibos apponebant, quibus veſcerentur. Rudes enim et inculti homines opinabantur, deos non minus ac homines cibis veſci, eorumque odore delectari. Iſtam ſuperſtitioſam opinionem Aſſaphus removet, et animi gratitudinem ac ſincerarum precum ſtudium contendit eſſe virtutes, quibus homines Deo probentur. תודה - זבח, *ſacrifica gratias*, i. e. ſacrificiorum loco redde Deo gratias, *et ſolve vota tua*, praeſta obedientiam, quam voviſti. His virtutibus animi Deus vere honoratur, utque tibi faveat et ex anguſtiis te eripiat, commovetur.

Tandem hypocritas increpat verbis quidem religionem profitentes, factis abnegantes, v. 16-23. ותרץ עמו, *delectabaris eo*, conſentiebas illi. LXX, Chald. Syr. pronunciarunt וַתָּרָץ, *et currebas cum illo*, συνετρεχες αυτω, cui addita vocula עמו, *cum eo*, melius convenit. חלקך - עם, *cum adulteris tua eſt portio*, rem communem, commercium cum adulteris habes. *Os in malum emittere*, os ad malum aperire, convicia alicui ingerere. צמד arab. *ligare, nectere.* בן אמך, *filius matris tuae*, frater germanus tuus. תחן דפי vocabulum ἅπαξ λεγομενον incertae ſignificationis. LXX. σκανδαλου, exque illis Vulg. *ſcandalum.* Arabibus דפח eſt *trudere*,

hinc רְמִי esse videtur improvisa a tergo impulsio, qua quis humi prosternitur. Ex filo orationis autem hoc pro obtrectationibus ponitur, cf. *Mich.* Suppl. p. 458. התחשחי, *fileo*, poenas non immitto. והיה אוהיה, *ero*, Genes. 18, 18: *cogitos, ego ero*, i. e. me fore tui similem. ערך, *ex ordine proponere.* — שם דרך, *qui disponit viam*, Symmach. ευθυνων οδευει. Alii, e. g. LXX. et Syr. 11. codd. de Ross. 29. editt. legerunt וָשָׁם, *et ibi.* ראה cum ב est *frui*, salute divina eum frui permittam.

Proverb. 16, 6. Egregia sententia! Homines inculti Deum sacrificiis expiare studeant, si peccaverunt, eumque his commovere studeant, ut poenam remittat. Salomo rectius perspexit, בחסד, *benignitate*, Wohlwollen, ואמת, *et fide*, sinceritate animi, Redlichkeit, *iniquitatem* expiari. יראת יהוה, *timor Jovae*, religio est. סור מרע, *discessio a malo*, religio, reverentia Deo debita homines eo adducit, ut peccata vitent, et sibi a sceleribus caveant. *Vera animi emendatione Deo reconciliamur*, et religio commonefacit, ut huic μετανοιᾳ serio studeamus.

Proverb. 21, 3. צדקה, *probitas*, quam nos dicimus *Tugend.* נבחר cum seq. Mem *praestantius, gratius.*

Jes. 1, 11 - 18. Judaei quidem assidui fuerunt in cultu externo, quo Deum coluerunt, in ritibus observandis, et sacrificiis offerendis, quae lex mosaica praescripsit, at cultum Dei internum, qui in humanitatis officiis implendis, in justitia exercenda cernitur, neglexerunt. Hanc morum corruptelam propheta Judaeis tum viventibus (vel Achaso vel Hiskia regnante,) exprobrat, et declarat, Deum omni cultus externi sui apparatu non delectari, nisi interna pietas et vitae integritas accedat. Deum peccata non condonare, nisi mores emendent, virtuti studeant, et scelera aversentur.

לָמָּה ־ זִבְחֵיכֶם, *quorsum mihi sacrificiorum vestrorum multitudo?* Faciliora praecepta homines servare solent, ut graviorum cura exsolvantur. Hinc factum est, ut studiose victimas Deo immolarent, primitias afferrent ad sanctuarium, dies festos ex legis mandato otiantes peragerent. מְרִיאִים, *animalia pinguia, saginata*, a r. מרא, chald. *saginavit*, arab. *bene profecit cibus*, ideoque pinguefactus est. כִּי תָבֹאוּ לֵרָאוֹת פָּנָי, *si venitis, ut coram me compareatis.* Melius pronunciatur לְרָאוֹת, *ut videatis faciem meam*, q. est *apparere.* Nam si לֵרָאוֹת infinitivus in Niphal esset, duplex adesset anomalia durior, *He* omissum esset, nec non *Lamed* ante פני. — מִנְחַת ־ שָׁוְא, *donum vanum*, inutile. קְרֹא מִקְרָא, *conventum convocare*, diem festum indicere, quod per praecones fiebat, sicut ferias adhuc hodie Turcae a turribus indicunt. מִקְרָא propr. *populus convocatus, coetus.* לֹא אוּכַל, *non possum* sc. ferre. אָוֶן וְעֲצָרָה, *iniquitas et festum*, festa iniquissima, per Hendiadyn, cap. 58, 3. Job. 4, 16. *Ikenius* in dissertat. theol. philol. de Azeret אָוֶן ex dialecto arab. reddit *quies, tranquillitas: quies et abstinentia.* עֲצָרָה nempe propr. est *cohibitio* a labore, i. e. festum, dies feriatus. LXX. vero pro אָוֶן legerunt צוֹם, jejunium, nam transtulerunt νηστειαν. — מַשָּׂא, *onus*, quod quis a se amoliri cupit, r. מרח, *abjecit, prostravit.* — *Manus vestrae sanguine madent*, caedem injuste patrastis. Haec est causa, cur Deus nec preces exaudiat, nec sacrificia ei sint acceptа. —

V. 16. Longe alium cultum Deus requirit, morum emendationem, virtutis studium, malorum fugam. Haec sententia primo metaphorice exponitur, *abluite, purgate vos.* Quemadmodum enim corpus a sordibus aquae lotione purgatur: ita animum a sordibus vitiositatis purgate. Hinc

verba propria ſubjunguntur: *removete* etc. חמוץ idem quod חומץ, *acidus*, *fermentatus*, inde fermento malitiae infectus, moraliter corruptus. Eodem ſenſu Arabes hanc vocem adhibent. אשרו, *dirigite*, *ad rectam reducite viam*. Syr. benefacite oppreſſis, et LXX. ρυσασθε αδικουμενον, quae verſio contextui aptior eſt. Verbum חמץ apud Chald. eſt *opprimere*, *violenter agere*.

V. 18. Tum, ſi aequitati et juſtitiae ſtudetis, id, quod bonum et honeſtum eſt, ſectamini, et a malis actionibus deſiſtitis, tum ſperare poteſtis, fore, ut vel graviſſima peccata vobis condonem, veniam omnium atrociſſimorum criminum certe ſperare poteſtis. Hic eſt ſenſus verborum tropicorum in v. 18. *Etſi peccata veſtra ſint coccini inſtar.* שנים vulgo *dibapha* vertunt, a שנה, *iterare*, quaſi, bis tincta, ut colorem altius imbibant. At longe recentior erat haec duplicis tincturae inventio, nec Romae quidem, niſi 700 poſt urbem conditam annis nota, vid. Plin. hiſtor. natural. Lib. IX. c. 39. §. 16. Derivanda potius videtur vox illa hebraica, *Koppio* monente, ab arab. שנה, *ſplenduit*, et שנא, *lux*, *ſplendor* dicta ſine dubio purpura a rubore ſplendente, unde eadem illa Chaldaeis זהירי vocatur a זהר, *lux*, *ſplendor*. תולע, *vermiculus* ſumitur metonymice pro *coccino colore*, qui ex vermibus arboris, Alkermes vulgo dictae, conficitur. — Si peccatis ruber color adſcribitur, ad effuſionem ſanguinis ſeu caedem patratam alluditur: ſi peccata veſtra ſint vel caedi comparanda, i. e. diriſſima. Ad צמר, uti e praecedenti collatione patet, ſubintelligenda eſt lana *alba*, צמר enim alias etiam de lana fuſca vel nigra uſurpatur. Senſ. maculae ſanguineae delebuntur, i. e. peccatorum veniam accipietis.

Jeſ. 66, 1-3. Autor hujus vaticinii meliores notiones, quam ſui aevi homines habebant, in hac pericopa expoſuit, et ſe vera Dei cognitione imbutum fuiſſe oſtendit. Depingit in Cap. praeced. ſtatum felicem Judaeorum futurum. Tum ſi patriae redditi erunt, tranquilli agent, et rerum abundantia fruentur, cogitabunt quoque de novo templo exſtruendo, et ſacrificiis reſtaurandis. Docet vero, tantum abeſſe, ut iſte cultus Numinis externus neceſſarius ſit, ut potius haec opera externa Deo admodum diſpliceant, niſi homines internam religionem adjungant. Deum enim, rectorem coeli et terrae, parietibus templi alicujus non includi poſſe, et ſacrificia, niſi immolans ſit pia mente, ſibi eſſe abominanda. — Quam egregie haec dicta ſunt! quam parum inſipidi Judaei externis ceremoniis nimium dediti hujusmodi monitis fidem habuerunt! Concinit *Seneca*: „vultisne Deum cogitare magnum et placidum, et majeſtate leni verendum, amicum et ſemper in proximo? Non immolationibus et ſanguine multo colendum, ſed mente pura, honeſtoque propoſito. Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis exſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.„ — *Coelum eſt ſolium meum, et terra ſcabellum pedum meorum.* Corpus Dei, ut ita dicam, tam vaſtae eſt magnitudinis, ut coeli ſolio inſidens pedibus ſuis terram attingat, eamque illis ſcabelli loco ſubjectam habeat. Haec anthropopathice ab autore, cujus animo tam vera et accurata notitia de rebus divinis inſita fuit, dicta eſſe nemo non videt. Phraſi autem hac omnipraeſentiam divinam in coelo et terra quaevis creantem et adminiſtrantem exprimere voluit. *Quae eſt domus* etc. Deus omnipraeſens parietibus templi arctis includi non poteſt. Falluntur, qui Deum non niſi in templis prae-

praesentem esse, nec alibi adorari posse sibi persuadent. ויהיו כל אלה, *ut ista omnia existant.*

Altera sententia, quam autor proponit, est, Deum non tam ad sacrificantem quam ad poenitentem et majestatis suae reverentem respicere. ואל־אביט, *ad quem respicio?* Respondetur: *ad humilem et spiritu percussum.* Quinam per hos intelligendi sunt? *Humilis* est modeste de se sentiens, *spiritu contritus* quis sit, docet Ps. 51, 19, poenitentiam agens peccatorum. חרד על דברי, *tremens ad verbum meum*, qui praecepta mea cum reverentia suscipit.

Illo tempore, quo Deum εν πνευματι και αληθεια adorandum esse, nec templis nec sacrificiis opus esse cognoscent, erit *qui bovem immolat, ut qui hominem necat*; *qui agnum immolat, ut qui canis cervicem abscindit.* ערף verbum denominativum ab ערף, *cervix*, *cervicem amputavit*, *abscidit.* Hominem occidere, capital fuit; canis fuit animal impurum, quem Deo immolare erat abominandum nefas. מעלה מנחה, *qui fertum* offert, דם חזיר, *idem est ac sanguis porcinus.* Judaei ex legis praescripto maxime suibus abhorrebant, ideoque nil horribilius cogitari poterat, quam porcum arae admovere litandum. מזכיר לבונה, *adolens thus*, הזכיר propr. 1) *nominavit*, inde 2) *nomen Dei super aliqua re nominavit*, i. e. sacrificavit. Cor. Sur. VI, 119. 121. 139. Hinc ea pars muneris farrei, quae altari imponebatur igne absumenda, אזכרה dicebatur, Levit. 2, 2, 9. 16. Cf. *Mich.* Suppl. ad L. H. p. 616. מברך און, *genubus flexis salutat*, i. e. adorat *vanum*, i. e. idolum vanum, Ps. 66, 18. Zachar. 10, 2.

Jerem. 6, 20. Sacrificia Judaei quidem adferre non neglexerunt, sed quia pietas defuit, Deo ingrata fuerunt. Vates enim in eo cum aliis sacris

autoribus consentit, quod cultui Dei externo nullum sit pretium, si non cum bona animi intentione, μετανοια et probitate conjunctus est. Sabaea, Arabiae felicis provincia, fuit thuriféra, Jes. 60, 6. Virgil.: molles sua thora Sabaei.

Hos. 6, 6. חסד, *benignitas, benevolentia ergo homines alios, das Wohlwollen.* Sacrificia absque animo omnibus promto et aequo parvi fiunt a Deo.

Amos 5, 21 - 24. Eadem sententia in hoc loco repetitur, quae in praecedentibus defendebatur, sacrificiis aliisque ceremoniis sacris Dei favorem non conciliari, sed bona animi indole, justi et aequi studio. לא אריח בעצרותיכם, *odorem non capio ex diebus feriatis vestris.* Hoc dictum est ex opinione vulgi, de qua supra plura dicta sunt, bonam victimarum fragrantiam Deum olfacere, magnumque ex ea percipere voluptatem. שלם, *sacrificium eucharisticum*, propr. *compensatio*, quia beneficia a Deo accepta ei veluti retribuuntur. *Remove strepitum* etc. intelligit cantica, quae ex Davidis instituto a Levitis in templo inter instrumentorum musicorum strepitum canebantur. ויגל, *sed volvatur*, a r. גלל, *volvit.* נחל איתן, *torrens perennis*, איתן a r. יתן, *irrigaus semper fuit.* Sens. Operam date, ut justitia vigeat ubique et abunduanter. Nisi enim vitam emendetis, et virtutis ac aequitatis studiosi sitis, ritus vestri sacri mihi omnino displicent.

§. 74.

De hostiis humanis.

Jam alibi a nobis monitum est, prope fuisse, ut Abrahamus, sincerus Dei cultor, exemplo Phoeniciorum seductus fuisset, filium tanquam hostiam

Deo immolare. Moſes quidem ſacrificia haec vetuit, Levit. 18, 21. 20, 1-5. Devt. 12, 30. 31. 18, 10. At Iſraelitae hunc exſecrandum morem, homines, et inprimis infantes, Diis immolandi, inſano ſtudio imitati ſunt, uti dux populi et praetor Jephta, Jud. 11, 34. etc., aliique, de quibus potiſſimum Jeremias conqueritur. Homines nempe Deos, ſi irati fuiſſent, et publicam calamitatem, luem, famem, bella, ſterilitatem immiſiſſent, vel eo, quod ſibi deſideratiſſimum eſſet, expiare, eorumque iram ferventem lenire et avertere ſtuduerunt. Quantopere Moſes inter veteres religionum ſtatores eminet, qui Deo hoſtias humanas eſſe abominabiles, et teterrimam hanc ſuperſtitionem et crudeliſſimam illi eſſe exſecrandam teſtatur. Inde Moſen meliorem de Dei bonitate, juſtitia, ſanctitate notionem, quam Graeci, Phoenicii, Carthaginenſes, Romani veteres, aliique, habuiſſe haud dubium eſt.

Levit. 18, 21. E liberis tuis nullum in honorem Molochi per ignem traiicies, quo facto Deum tuum abnegares. Ego ſum Jova.

Levit. 20, 1-5. Ulterius Jova cum Moſe his verbis locutus eſt: Iſraelitis haec edicito: ſi quis veſtrum, ſive Iſraelita, ſive peregrinus, ullum ex liberis ſuis Molocho dederit immolandum, ſupplicio afficiatur. Homines illius loci lapidibus eum obruant. Ego ipſe iratus animadvertam in iſtum hominem, eumque e numero popularium ſuorum auferam, quoniam liberos ſuos Molocho tradidit, atque hoc facto ſanctuarium meum polluit, et nomen meum ſanctum profanavit. Quodſi vicini ſceleri iſtius hominis conniveant, neque eum ad ſupplicium trahant; ego ipſe me in iſtum hominem et familiam ejus convertam, et tum ipſum,

tum omnes, qui ejus exemplo Molochum ſectati ſunt, exſcindam e populo ſuo.

Devt. 12, 30. 31. Cavete, ne eodem laqueo irretiamini, ne nempe de earum diis ſciſcitemini, ut hos eadem ratione, qua illae fecerunt, colatis. Abſit, ut vos ita geratis in Jovam Deum veſtrum. Nam quae hic quam maxime abominatur et deteſtatur, gentes iſtae fecerunt in honorem Deorum ſuorum, quibus adeo filios ſuos et filias immolarunt.

Devt. 18, 10. Ne ſit inter vos, qui filium ſuum aut filiam igne comburat, qui ſortilegia exerceat, aſtrologus, augur, veneficus.

Jud. 11, 34-40. Cum Jephta Mizpam in domum ſuam veniret, filia ſua ei occurrebat tympanis et choreis, eique fuit unigenita, nec habuit praeterea filium aut filiam. Igitur diſcidit, cum illam videret, veſtes ſuas, et dixit: Vah filia mea, tu me affligis et turbas, etenim votum, quod revocare nequeo, vovi. Illa reſpondit: mi pater, votum tuum, quod Jovae voviſti, ſtando promiſſis ſolve, poſtquam Jova tibi vindictam de hoſtibus tuis Ammonitis dedit. — Porro patri ſuo dixit: ita mihi fiat; concede mihi duos menſes, ut abeam et ad montes deſcendam, ibique virginitatem meam defleam, ego et ſociae meae. Tum patre hos duos menſes concedente cum ſociabus ſuis abiit, et virginitatem ſuam deflevit; duobus menſibus autem abſolutis ad patrem rediit, qui per illam hactenus illibatam votum nuncupatum reddidit. Inde conſuetudo obtinuit, ut quotannis Iſraelitides laude celebrarent filiam Jephtae Gileaditae, quotannis quatuor dies.

Jer. 32, 35. Struxerunt aras Baalis in valle Hinnom, ut traducerent filios ſuos et filias Molo-

cho, quod neque illis praeceperam, nec unquam tale facinus abominabile cogitavi, ut Judaeam ad peccandum provocarem.

2 Reg. 23, 10. Et polluit Tophet in valle filii Hinnom, ne quis filium suum aut filiam per ignem Molocho traduceret.

Ad §. 74. Levit. 18, 21. ומזרעך, *et e semine tuo*, i. e. *liberis tuis*, לא תתן להעביר, *non des, ut traducas Molocho*, sc. per ignem comburendos, ut apparet ex 2 Reg. 23, 10. Jer. 32, 35. מלך Deus Ammonitarum, et vicinorum Syriae populorum. *Saturnus coeleſtis*, cf. *Selden.* de Diis Syris, Syntagm. II, c. 6. et *Mich.* Suppl. p. 1514. Saturno Phoenices et Carthaginenſes ab illis conditi pueros immolarunt, *Curt.* de reb. Alexandri M. L. IV, c. 3, 3: „ſacrum quoque, quod quidem diis minime cordi eſſe crediderim, multis ſeculis intermiſſum repetendi auctores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur, quod ſacrilegium verius quam ſacrum, Carthaginienſes, a conditoribus traditum, uſque ad excidium urbis ſuae feciſſe dicuntur. Ac niſi ſeniores obſtitiſſent, quorum conſilio cuncta agebantur, humanitatem dira ſuperſtitio viciſſet.„ *Juſtin.* Lib. XVIII, c. 6, 11, 12.: „Cum inter caetera mala etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione et ſcelere pro remedio uſi ſunt. Quippe homines ut victimas immolabant; et impuberes (quae aetas hoſtium miſericordiam provocat,) aris admovebant, pacem deorum ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita dii rogari maxime ſolent.„ *Tertullian.* Apologet. c. IX.: „infantes penes Africam Saturno immolabantur palam uſque ad proconſulatum Tiberii, qui eosdem ſacerdotes crucibus expoſuit.„ — *Ne profanes nomen Dei tui*, quod fiebat, cum ii,

qui de nomine Dei appellabantur, sacra fecerunt Molocho.

Levit. 20, 1 - 5. Poena capitalis, et quidem lapidationis supplicium, ei irrogabatur, qui filios Saturno immolare auderet. נתן מנים באיש, *faciens dare contra aliquem*, animadvertere in eum. *Exscindi e populo*, h. l. est supplicium pati. העלם - עיניהם, *si populus terrae abscondit oculos suos ab hoc viro*, si populares ei connivent. Vicini quippe, qui Israelitam observabant filios Molocho consecrantem, hunc jure suo lapidibus obrutum interficere potuerunt. הזנים - המלך, *qui scortantur post eum, scortando post Molochum*, qui insanam ejus idololatriam imitantes filios suos Molocho immolant. *Scortatio* pro idololatria posita est tropus hebraeis scriptoribus usitatissimus.

Devt. 12, 30. 31. Quando Israelitae Palaestinam occupaverint, caveant, ut inquirant, quos Deos et qua ratione eos gentes expulsae coluerint, eo consilio, ut cultum illarum imitentur. איכה, *quemadmodum*. וכן est apodosis, *ita*. Hostiae humanae Deo sunt quam maxime abominabiles. Rectius Moses de Deo sentit, quam alii populi tum temporis florentes.

Devt. 18, 10. Moses varia superstitionis genera interdicit prudentissime, hostias humanas, auspicia, μαντειαν per sortes. Nonne eum meliore cognitione imbutum fuisse oportet, qui ejusmodi fraudes, quo minus publice exerceantur, prohibet, quam alii religionum statores, qui has artes vanas et fraudulentas stabiliverunt et quasi sanxerunt? De immolatione filiorum et filiarum jam dictum est. Liberi brachiis Molochi impositi igne ei subjecto vivi comburebantur, et ne ejulatus eorum dolore summo expressus audiretur, et commiserationem commoveret, tympana aliaque

inſtrumenta muſica pulſabantur, et buccina clangebatur. — קסם קסמים, βελομαντις. De βελομαντεια verbum קסם explicat *Schultenſ.* in Clavi dialect. p. 293. nam קסם arab. eſt *ſagittis ſortibusque diremit.* מעונן, *qui ex nubium obſervatione omina captat*, verbum denominativ. ab עָנָן, *nubes*, cf. Jer. 10, 2. מנחש omina ex ſerpentibus captans, verbum נחש eſt a nomine נָחָשׁ, *ſerpens.* Multa exempla οφιομαντειας occurrunt apud veteres populos, quae *Bochart.* Hieroz. P. I. L. I. C. III. collegit. מכשף, *praeſtigiator*, qui aliorum oculos praeſtringit, r. בשף, arab. *caligavit oculus,*

Jud. 11, 34 - 40. De immolatione Iſaaci jam alibi dictum eſt, igitur de filia Jephtae, immolata pro victima, adhuc dicendum eſt. Fuerunt quidem, (*Grotius*, *Clericus*, *Heummannus* Goettingenſis, alii,) qui Jephtam filiam ſuam immolaſſe negarent, et illam tantummodo Deo ita conſecratam fuiſſe, ut in coelibatu perpetuo viveret, uti hodie virgines ſacrae et monaſticas, contenderent. Haec interpretatio autem verbis textus contraria excogitata eſt, ut Jephtam, quem virum ſapientem et pium ſibi cogitarunt, a crimine ſacrificii humani abſolverent. Verum enim vero 1) haec impia immolatio liberorum cum genio ſeculi convenit. Ita Agamemnon filiam ſuam Iphigeniam Phoebo et Phoebae nec non Dianae litavit, cf. *Euripid.* Iphigen. et Ovid. Metamorph. Lib. XII. v. 27 - 36.:

nec enim neſcitve tacerve,
ſanguine virgineo placandam virginis iram
eſſe deae. Poſtquam pietatem publica cauſſa,
rexque patrem vicit; caſtumque datura cruorem
flentibus ante aram ſterit Iphigenia miniſtris;
victa Dea eſt, nubemque oculis objecit, et inter
officium turbamque ſacri, vocesque precantum
ſuppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerva.

Ergo ubi, qua decuit, lenita eſt caede Diana;
et pariter Phoebes, pariter maris ira receſſit;
accipiunt ventos a tergo mille carinae.

Sic Erechtheus filiam ſuam natu minimam Diis immolavit, ut, oraculo ita ſuadente, Athenienſes de Thraciae rege Eumolpo victoriam reportarent, vid. Apollodor. biblioth. L. III, 15, 4. 2) Jephta non fuit ſapientia et legum moſaicarum peritia conſpicuus, ſed vir manu fortis, dux praeddnum, meretricis filius. Curni hunc tetrae ſuperſtitioni deditum fuiſſe credamus? 3) Verba textus aliam interpretationem non commode admittunt. Etenim Jephta voverat, ſe Jovae, quicquid ſibi domum redeunti primo obviam venerit, pro holocauſto oblaturum eſſe, v. 31. *Vau* in והיה ליהוה והעליתיהו, disjunctive quidem vertere voluerunt: *vel Deo erit ſacrum, vel victimam immolabo;* ſed hoc tantum factum eſt, ut rei difficultatem removerent, et nullum in textu adeſt indicium, cur pro particula disjunctiva *Vau* h. l. ſumere oporteat. Jephtam autem votum ſuum temerarium expleſſe, et cum filia ſua conſentiente id egiſſe, quod feſtinanter et leviter ſpopondiſſet, in v. 39. legimus.

Quemadmodum heroes Graecorum proelium ineuntes Deo alicui, cujus in tutelam ſe commendarunt, hecatomben voverunt: ita etiam Jephta, ut felici in proelio gauderet ſucceſſu, Deo Iſraelitarum tutelari, v. 31. holocauſtum promiſit. — Filia Jephtae patri triumphanti obviam venit tympanizans et choreas ducens. Hic fuit mos virginum iſraeliticarum, victores canticis et ſaltationibus excipiendi, Exod. 15, 20. 21. Jud. 5, 1. 1 Sam. 18, 7. אין לו מקנו בן ובת, *non fuit ex ſe ipſo filius aut filia*, non alium habuit filium aut filiam. — Sciſſio veſtium erat ſignum luctus. כרע, בעברי, *incurvando incurvas me*, *et es inter*

perturbantes me, i. e. maximo dolore me adficis. ואנכי פציתי — לשוב, *ego aperui os ad Jovam, et non poſſum reverti*, i. e. quod Jovae promiſi, non poſſum revocare. Jephta legum moſaicarum non tam peritus erat, ut intelligeret, hoſtiam humanam a Moſe interdictam et Deo ingratam eſſe. Sed morem nefandum, quem inter Phoenicios, Ammonitas aliasque vicinas gentes obtinere ſcivit, imprudenter imitatus eſt, votumque ſuum irrevocabile eſſe exiſtimavit. — V. 37: *et dixit ad patrem ſuum: fiat mihi haec res.* Subintelligendum eſt, patrem filiae narraſſe voti ſui ſummam. ורדה במני, *miſſam me facito — ut deſcendam ad montes*, verſus Auſtrum itura erat, Geneſ. 38, 1. *Ut deſleam virginitatem meam.* Summum opprobrium et dedecus habebatur, innuptam et viri expertem mori, et liberos non reliquiſſe. Virgines Deo ſacras, quales apud Romanos fuerunt Veſtales, Hebraei non habuerunt. Itaque textus non de voto perpetuae caſtitatis intelligi poteſt. — ותהי חק, *facta eſt conſuetudo.* מימים ימימה; *quotannis.* 1 Sam. 1, 3. לחנות, *ad laudandum*, r. חנה arab. et *fyr. laudavit*, Male LXX, Vulg. Chald. *ad lugendum.* Magna animi conſtantia, quam Jephtae filia oſtendit, cum mortem voluntariam ſubiret, hanc laudationem meruit.

Jer. 32, 35. במות, *altaria*, בעל nomen genericum deaſtrorum canaaniticorum. In Ctib המטי eſt orthographia chaldaica, in Kri החמיא hebraica.

2 Reg. 23, 10. Joſia, rex pius, cultum veri Dei reſtauravit, et omnia, quae ad idololatriam adiuvandam inſtituta erant, abrogavit. In valle filii Hinnom aram excelſam exſtruxerant, ibique liberos ſuos in honorem Molochi combuſſerant. תפת fuit nomen proprium loci in valle Ben Hinnom prope Hieroſolymam Molocho peculiariter

conſecrati, quippe in quo excelſa erat ejus ara, Jer. 7, 31. 32, ab *exſecranda idololatria* ſic dicti, nam חוף eſt chald. תפן, aethiop. חפן, arab. *exſpuit, deteſtatus eſt.*

§. 75.

II) de precibus.

Qui Deum, rerum humanarum moderatorem eſſe convicti ſunt, a quo ſalus ſua pendeat, et mala immitti poſſint: illi, ubi ope indigent malis preſſi, aut ubi, ut aliquid ſibi proſpere ſuccedat, ex animo expetunt, certe ad Deum preces fundere non ceſſant. Itaque Hebraei Deum ſemper precibus piis venerati ſunt. Abrahamus ad aram a ſe extructam Deum precibus coluit, Geneſ. 12, 8, et pro Sodomitis apud illum interceſſit, Geneſ. 18, 23 - 33. Moſis precibus Jova Iſraelitis condonavit, Exod. 32, 11 - 14. Isque ſacerdotibus formulam precandi praeſcripſit, qua Iſraelitis omnia bona fauſtaque a Deo apprecarentur, Numer. 6, 22 - 27. Hanna tentorium ſacrum adiit, et ad Deum ſupplices manus, ut tolleret ſuam ſterilitatem, tetendit, 1 Sam. 1, 10. 11. Nemo vero Davide ſtudioſior precandi fuit et exercitatior, a quo habemus collectionem carminum evchariſticorum, hymnorum, in quibus laudes Dei ſupremi canuntur, deprecationum animi de peccatis commiſſis dolentis, canticorum ſacrorum uſui publico religioſo deſtinatorum, feſtis diebus decantandorum; quibus etiam preces (תפלה) ab aliis autoribus intermixtae ſunt. Declarat Davides, petentibus Deum ſe facilem praebere, et oratione memoriam beneficiorum ejus recolentibus annuere, Pſ. 50, 14. 15. 23. Pſ. 145, 18. 19.

Geneſ. 12, 8. Progreſſus deinde eſt in itinere ſuo verſus montanam regionem, quae eſt Betheli ab oriente, ibique tentoria ſua fixit, ita ut ei Bethel eſſet ab occaſu, Ai vero ab ortu. Aram quoque ibi in honorem Jovae collocavit, ejusque nomen invocavit.

Geneſ. 18, 23 - 33. Tum Abrahamus propius acceſſit et dixit: Num perdes pium cum impio? Fortaſſe quinquaginta pii ſunt in urbe. Hoc abs te abſit, ut pium cum impio occidas, eademque conditione tibi uterque ſit. Nonne judex totius terrae jus reddet? Jova reſpondit: Si quinquaginta pios in urbe Sodoma invenero, condonabo propter illos toti urbi. Tum Abrahamus pergebat: Auſus ſum loqui cum Domino, qui ipſe ſim pulvis et cinis. Fortaſſe deſunt quinque in illo numero quinquaginta bonorum, num perdes pium cum impio?

Exod. 32, 11 - 14. Moſes precatus eſt ad Jovam Deum ſuum, dixitque: cur, o Jova, ira tua accenſa eſt contra populum tuum? quem e terra Aegypti magna vi et manu valida eduxiſti. Cur Aegyptus dicat: ad perniciem eorum eduxit illos, ut in montibus interficeret, et de terra deleret? Deſiſte igitur a fervente ira tua, et abſtine a poenis populo tuo infligendis. Recordare Abrahami, Iſaaci et Iſraelis, cultorum tuorum, quibus jurejurando promiſiſti, te velle poſteros ſuos augere uti ſtellas coeli, et totam hanc terram, quam illis pollicitus es, poſſidendam daturum eſſe. Quo facto Jova abſtinuit a poena, quam populo ſuo minatus fuerat.

Numer. 6, 22 - 27. Porro Jova Moſi dixit: praecipio Aaroni et filiis ejus, ut Iſraelitis hunc in modum bene precentur: benefaciat vobis Jova,

et vos cuſtodiat. Faveat vobis Jova, et veſtrum miſereatur. Benignum ſeſe Jova vobis exhibeat, omnisque felicitatis genere cumulet. Nomen meum enuncient coram Iſraelitis, et ego vos fortunabo.

1 Sam. 1, 10. 11. Haec autem moeſta ad Jovam magno cum flētu precabatur. Et votum vovebat: Jova omnipotens, quando ad miſeriam ſervae tuae reſpicies, et mei memor prolem maſculam mihi dabis, illam Jovae per omnes vitae ſuae dies conſecrabo, novacula ſuper caput ejus non aſcendet.

Pſ. 50, 14. 15. 23. Vid. §. 73.

Pſ. 145, 18. 19. Prope adeſt Jova omnibus eum invocantibus, omnibus ſincere eum invocantibus. Deſideria cultorum ſuorum explet, vociferationem eorum exaudit, eosque ſervat.

Ad §. 75. Geneſ. 12, 8. הָרָרָה, *montanam regionem verſus, quae eſt Bethel ab Oriente.* Eſt prolepſis; urbs enim Bethel a Jacobo demum hoc nomen accepit, Abrahami autem tempore Luza vocabatur, ut Jud. 1, 23. dicitur. Sub montana regione ſine dubio intelligitur aſperum illud et montanum deſertum in latere ſeptentrionali urbis Jericho, quod hodie *Quarantania* dicitur, et Nomadum errationibus valde aptum eſt. בֵּיתאֵל מִיָּם, *ita, ut Bethel eſſet ab occaſu.* מִיָּם, *a mari*, quia ad occidentem Judaeae eſt mare mediterraneum. *Ibi Abrahamus aram condidit et nomen Jovae invocavit*, i. e. precatus eſt. Num ſacra quoque fecerit, ſeu ſacrificium Deo obtulerit, non expreſſe legitur, ſed ex eo, quod aram exſtruxerit, mactationem victimae non abfuiſſe nonnulli colligunt.

Geneſ. 18, 23-33. Homines rudiores antiquiſſimo aevo opinati ſunt, Deos ad terram deſcen-

dere, in domiciliis hominum divertere, apud illos cibos capere et hospitio excipi, cum illis colloqui, et humano more versari. Ejusmodi μυθους complures Graeci de diis suis posteris tradiderunt. Et eandem ideam de Deo Geneſis proponit. Deus forma humana indutus est, in regionibus terrenis saepenumero versatur, ut cognoscat, quae res in terris gerantur, e coelo descendit, hospitio hominum utitur, pios liberat, impios exitio dat ipse praesens. His μυθοις in Geneſi obviis merito narratio de Jova et duobus angelis Abrahamo apparentibus annumeratur. Peregrinos sibi ignotos exitium Sodomae annunciantes Abrahamus entia hominibus longe majora esse putavit, imo Jovam ipsum apud se devertisse credidit, vel ni ipse hoc credidit, certe posteri hanc historiam ita effinxerunt, et μυθικως exposuerunt.

Abrahamus miseratione commotus apud Jovam pro Sodomitis intercedit, quibus propter impietatem et flagitia detestanda excidium imminebat. Ad quas preces Deus declarat, se velle veniam dare, si vel quinque viri probi in oppido adessent. Autor itaque Abrahami humanitatem et Dei misericordiam ac φιλανθρωπιαν hisce commendat. צדיק, *probus*. Justitia fuit primaria virtus, qua totam virtutem contineri inculti homines sibi persuaserunt. נשא sequente Lamed *ignoscere*. הואלתי, *animum induxi*.

Exod. 32, 11 - 34. Israelitae ad imitationem Apidis apud Aegyptios sub forma tauri pro Deo culti vitulum aureum confecerunt, ejusque sub specie Jovam venerati sunt. Moses cum diu in monte Sinai moraretur, ipse frater ejus Aharon inductus est, ut μοσχολατρειαν adjuvaret. Moses huic superstitioni infensus Jovae iram contra Israelitas excandescentem pertimescebat. Quas animo

veritus eſt poenas, quaſi a Deo enunciatas proponit, ideoque Deum precibus mitigare ſuſtinet. חלה פנים, *terere faciem* idem quod *ſupplicare, enixe rogare.* Etenim qui inſtanter rogant, genas ac mentum ejus, quem rogant, manibus palpant et demulcent; quod Lat. eſt *perfricare os*, cf. *Homer.* Il. VIII, 371. Rationes, quae Deum movere debent, ut poenam remittat, duae ſunt 1) ne Aegyptii de exitio Iſraelitarum exſultent, et illos a Jova deceptos fuiſſe ſibi exprobrent, 2) ut Deus ſtet promiſſis eorum progenitoribus datis. Prior ratio eſt indicio, Moſen de Deo exiliter adhuc ſenſiſſe, quod etiam inde patet, cum illi poenitentiam tribuit, הנחם על הרעה, *fac, ut te poeniteat mali*, i. e. abſtine a poenis.

Numer. 6, 22 - 27. Bene precandi formula, quam Moſes ſacerdotibus tradit, ut ea publice utantur. ברך, *fortunare, indulgenter, benigne fovere, beneficiis afficere.* יאר פנים, *faciem illuſtret*, ſerena ſit fronte, idem quod ſequens יחנך, *propitius ſit tibi.* שלום, *omnia felicitatis genera.*

1 Sam. 1, 10. 11. Hanna erat ſterilis, et quia ſterilitas tunc magnum dedecus habebatur, moeſtiſſima multisque ſubortis lacrimis Deum precata eſt, ut ſe foecundam redderet, et quidem prole maſcula. Votum addit, ſe velle puerum Deo conſecrare, et Naſiraeum facere. In quo voto ſuperſtitionem ſui temporis illam ſecutam eſſe in aprico eſt. והיא מרת נפש, *illa erat amara mente*, i. e. triſtis. זרע אנשים, *ſemen maſculinum*, i. e. proles maſcula. אנשים per Synecdochen frequentius de *maribus* ſeu *viris* in ſpecie ponitur, Geneſ. 6, 4. c. 13, 8. c. 47, 2. Novacula *non aſcendet* etc. Capilli Naſiraeorum non tondebantur.

§. 76.

Quo corporis habitu precati sint.

Ignobiliores solebant nobilioribus et potentioribus reverentiam corpus suum ad humum prosternendo, Genes. 18, 2. 19, 1. 23, 7. 12. 33, 3. 6. 37, 7. 9. 42, 6. 43, 26. 28. 48, 12. 49, 8. quod השתחוה seu προσκυνεῖν vocabant, et oscula vel manibus vel pedibus et genubus vel terrae dando, Ps. 2, 12. 1 Sam. 10, 1. Ps. 72, 9. exhibere. Eundem morem ad cultum Dei transtulerunt, et, cum preces fundebant, vel corpore humi prostrati procumbebant, Gen. 17, 3. 17. Genes. 24, 26. 48. 52, vel genua flexerunt, Jes. 45, 23. Dan. 6, 11. Oscula ad Deos transmittere praecipue idololatrae soliti erant, 1 Reg. 19, 18. Hos. 13, 2. Job. 31, 26. 27.

Genes. 17, 3. 17. Cecidit Abrahamus super faciem suam, et Deus cum eo collocutus est.

Genes. 24, 26. Tum homo prostratus Jovam adoravit. — v. 48. Et prostratus adoravi Jovam, gratiasque egi Deo heri mei, qui me recta huc duxisset, ut neptem fratris heri mei ejus filii uxorem ducerem.

Jes. 45, 23. Per me juro, exit ex ore meo verbum verum et irrevocabile: coram me omne genu flectetur, omnis lingua mihi jurabit.

Dan. 6, 11. Daniel etsi mandatum promulgatum sciret, tamen domum suam ingressus, fenestris in ὑπερῳῳ suo apertis, genubus flexis ter quotidie precabatur, et Deum laudavit, uti haec antea facere consuerat.

1 Reg. 19, 18. Ex Israelitis servabo septem millia hominum, qui Baali nec genua flexerunt, nec ei oscula dederunt.

Hoſ. 13, 2. Ii hominum, qui ſacrificare volunt, vitulos oſculentur.

Job. 31, 26. 27. Si vidi ſolem, quod tam egregie fulgeret, et lunam, quod clare ſplenderet, et in abſcondito cor meum deceptum eſt, et ore manum meam oſculatus ſum: hoc quoque eſſet crimen cenſura arbitrorum dignum, nam Deum in excelſis abnegaſſem.

Ad §. 76. Geneſ. 17, 3. 17, 24, 26. Cf. *Ruperti* Commentat. über die Verehrung der Gottheit in den älteſten Zeiten, in *Henkii* Magazin T. V. p. 56. Duo verba occurrunt, quibus mos Deum adorandi exprimitur, קדד et השתחוה. Prius eſt, *vertices inclinavit*, quod cultum profundiorem nonnunquam praecedebat, Ezech. 34, 8. Poſterius eſt, *in genua procumbens frontem humi poſuit, proſtravit ſe*, quod explicatur per נכפל על פניהם, *cadere ſuper faciem*. Hoc fiebat in adoratione civili Orientalium, non ſolum erga ſuperiores, 2. Sam. 9, 8. 14, 33. 18, 21. 24, 10. Ruth. 2, 10. ſed etiam erga aequales. Cf. 1 Sam. 16, 13. et *Hyde* de religione Perſ. p. 6. Hebraico verbo השתחוה reſpondet graecum προσκυνειν, *humi ſe provolvere ad pedes alicujus* in ſignum ſubmiſſionis, propr. *more canis lambere, et lambendo oſculari*.

Hic mos translatus eſt ad cultum Dei, cui ſummam reverentiam et devotionem quoque externam exhibere voluerunt. Sic Deucalion atque Pyrrha, Ovid. Metamorph. I, 375. 376.

ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.

Jeſ. 45, 23. Genua flectere in adoratione Dei ſolennissimum fuit, unde γονυκλισθαι, γονυπετειν pro *precari* dicitur. In loco citatus ſenſus eſt: non Ju-

Judaei ſolum, ſed aliae etiam gentes religionem moſaicam amplectentur. Id vero exprimitur per phraſes: *omnes gentes* coram me genua *flectent*, me adorabunt, *omnis lingua mihi jurabit*. Qui per Jovam jurabat, is illum pro vero Deo agnoſcebat et colebat. צדקה, *veritas*. דבר ולא ישוב, *verbum quod non revertitur*, promiſſio certa, irrevocabilis.

Dan. 6, 11. Eundem morem flexionis genuum in precando Daniel ſecutus eſt, quod e loco noſtro patet. Praefecti regii illum apud regem de religione ſua criminabantur. Regem nempe induxerunt, ut legem promulgaret ineptam, ne quis aliquid peteret ab aliquo Deo aut homine per triginta dies, niſi a ſe. Quia adverſarios Danielis pietas ejus haud latebat, eum huic regio mandato obſequium non praeſtiturum, ideoque in regis odium incurſurum eſſe praeſumebant. Id factum eſt. Daniel preces ſuas conſuetas ter ſingulis diebus peragere non deſtitit, imo, quod imprudentius factum eſt, apertis feneſtris laudes Jovae cecinit. רשם, *exaravit*, *ſcripſit legem*. כו, *foramen in pariete*, dictum a perfoſſione, a r. arab. كوى, *fodit*. עליה, ὑπερῷον, *cubiculum ſuperius*, in quo veteres cum amicis confabulari et coenare, ſecreto agere et preces facere ſolebant. *Hieroſolymam verſus*, quo faciem in precando Judaei verterunt, quia ibi templum extiterat.

1 Reg. 19, 18. Propheta Elias ſe ſolum eſſe ſuperſtitem putavit, qui verum Deum colat, et cultui baalitico non deditus ſit. At Deus adfirmat, ſeptem millia hominum adhuc ſupereſſe, quibus adoratio Baalis ſit deteſta bilis. Adoratio autem, qua τον Baal coluerunt, conſiſtebat in genuum flexione et oſculis datis. Per Baalem *Michaelis* probabiliter intelligit Herculem Tyrium; quem oſculis venerari ſolebant. De Hercule Agrigentino

Cicero L. IV. in Verrem c. 43: „Herculis templum eſt apud Agrigentinos, ſane ſanctum apud illos et religioſum, ibi eſt ex aere ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidiſſe pulchrius, uſque eo, judices, ut rictum ejus et mentum paullo ſit attritius, quod in precibus et gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolent. Hercules Agrigentinus, peregrino Romanisque ignoto cultu adoratus, quin Tyrius ſit, nemo dubitabit, cui vetus Sicilia cognita, multas Phoenicum colonias ac nobiliſſimas habens, eorumque et lingua plerumque in nummis utens, cf. Suppl. ad L. H. p. 196. Caeterum mos eſt in Oriente receptus, id, quod ſacroſanctum habetur, oſculo dato venerandi. Sic enim Mohammedani peregrinatores religionis cauſſa lapidem nigrum in templo Meccano, quem de coelo delatum dictitant, oſculantur.

Hoſ. 13, 2. Cultus baaliticus eſt cauſſa, cur respublica iſraelitica collapſa ſit. Huic autem ſtudio ardentiſſimo dediti ſunt Iſraelitae. Aurifabri ſimulacra conflant, de quibus dicunt: זבחי אדם ישקון - , *ſacrificantes hominum oſculentur vitulos.* Moſcholatria praecipue inter Iſraelitas vigebat, et deo ſuo ſub ſpecie vitulorum repraeſentato ſuavia reverentiae teſtandae cauſſa praebuerunt. Haec interpretatio melior eſt altera: *qui immolant homines* etc. Iſraelitas enim hoſtias humanas tum Jovae obtuliſſe, non legimus relatum.

Job. 31, 26. 27. Jobus teſtatur, ſe Sabaeiſmum ſ. cultum aſtrorum, ſolis et lunae, ſemper eſſe abominatum. אור, *ſol*, Cap. 37, 21. Jeſ. 18, 4. ותשק ידי לפי, *ut manus mea ori meo adpacta ſit*, i. e. ut manum ori admoverem ad oſcula ei infigenda, quae ſolem verſus jacerentur. R. נשק eſt propr. *compingere arctius et adpingere, ſe adjungere, ad-*

haerere. Spannhem in hiſtor. Jobi, Cap. 9, n. 7: „Antiquiſſimum idololatriae genus, cujus fere ſolius cum deteſtatione meminit Jobus. Fuit is ſolis et lunae cultus, manu ori admota per modum oſculi, primaevo ritu adorandi.„ Oſcula in Oriente ſunt ſigna reverentiae. Si manum alterius oſculari non licet, ſuam pro aliena eodem ſignificatu oſculantur, manumque ſuam, cui baſium impreſſum eſt, fronti admovent. Sic et Deos ſuos adorabant. Manui ſuae oſcula infigebant, eaque vel coelum verſus jaciebant, vel fronti manum imponebant, cf. *Harmar.* obſervatt. T. II. p. 56. *Menkii* diſſertt. philol. de oſculo manus ori dato, Lipſ. 1711.

§. 77.

De locis, in quibus Deo ſacra fecerunt, et ad eum precati ſunt.

Deum antiquiſſimo aevo non ubivis, ſed certis tantum in locis praeſentem cogitarunt, quae adamet, ubi appareat, et ubi ideo colendus ſit. Hujusmodi loca erant lucus, montes, colles, arbores, ad quas aras exſtruxerunt, Geneſ. 22, 2. 14. Geneſ. 12, 6. 7. 18, 1. 41, 1. 2. Hoſ. 4, 13. et lapides ſacros oleo inunctos erexerunt, Geneſ. 28, 18. 22. Aliis in locis, in quibus olim Deus apparuiſſe, aut Patriarchae ſacra feciſſe dicebantur, ſua quoque Iſraelitae fecerunt ſacra, ut Berſebae et Bethel, Geneſ. 26, 23. (coll. 46, 1. 2.) 21, 33. Hoſ. 4, 15. Quamdiu Iſraelitae vitae nomadicae addicti erant, templa non habuerunt. Ubi vero Moſes eos per deſertum Arabiae ad Palaeſtinam adduxit, primum templum portatile ſ. tentorium ſacrum erexit, diu autem poſt Salomone regnante

aedes ſacra Hieroſolymae exſtructa eſt, in qua Jova praeſens credebatur, ibique et non alibi colendus erat, Devt. 12, 1 - 14. 1 Reg. 8, 1 - 30.

Gen. 22, 2. 14. Et dixit: accipe filium tuum unigenitum tibi dilectum, Iſaacum, et abi ad terram Moriam, ibique illum offer pro holocauſto ſuper uno montium, quem ego tibi oſtendam.

Et Abrahamus huic loco nomen dedit: Jova Jireh. Inde etiamnum in proverbio dicitur: in monte Jovae providebitur.

Gen. 12, 6. et Cap. 18, 1. Et Abram migravit per terram uſque ad locum Sichemi, ad terebinthum More; Cananitae autem tum erant in terra.

Jova ei apparuit ad terebinthum Mamre, cum horis meridianis ſederet ad januam tentorii.

Hoſ. 4, 13. In cacumine montium ſacrificant, et in collibus ſuffiunt, ſub terebintho, populo et quercu, quia grata eſt eorum umbra. Propterea veſtrae filiae ſcortantur, et nurus veſtrae adulterantur, et populus imprudens corruet.

Geneſ. 28, 18. 22. Jacobus mane ſurrexit, et ſumſit lapidem, quem a parte capitis poſuit, et cippum erexit, quem oleo perfudit. — Lapis ille, quem cippum erexi, erit domus Dei, et omnium rerum, quas mihi dabis, decimas tibi dabo.

Geneſ. 26, 23. 24. 25. et Cap. 46, 1. 2. Inde aſcendit Berſebam. Illa nocte Jova ei apparuit, dixitque: ego ſum Deus Abrahami patris tui, ne timeas, nam ego tibi adſum, te fortunabo, et augebo poſteros tuos propter Abrahamum cultorem meum. — Et aedificavit ibi aram, et invocavit nomen Jovae, ibique ſuum tentorium fixit. —

Iſrael et tota ejus familia proficiſcebatur Berſebam, et ſacrificavit Deo patris ſui Iſaaci.

Gen. 21, 33. Et plantavit tamariſcum Berſebae, ibique nomen Jovae Dei aeterni invocavit.

Hoſ. 4, 15. Si vos Iſraelitae ſcortamini, ſaltem ne reatum committat Juda. Nolite venire Gilgalem, nec aſcendere Bethaven, vel jurare per Jovam.

Devt. 12, 1 - 14. Haec ſunt ſtatuta et leges vobis obſervandae in terra, quam Jova Deus majorum veſtrorum vobis dabit omnes dies, quos in terra vivetis. Perdetis omnia loca, in quibus gentes a vobis expellendae Deos ſuos coluerunt ſuper montibus altis et collibus, et ſub omni arbore viridi. Et deſtruetis altaria earum et ſtatuas frangetis, et lucos igne comburetis, et Deos ſculptos exſcindetis, et nomen illorum ex hac regione delebitis. Non ita Jovam Deum veſtrum coletis. Sed ad locum, quem Jova Deus veſter ex omnibus tribubus eliget, ut ibi colatur et habitet, convenire eumque conſulere debetis. Eo adferte holocauſta veſtra, et ſacrificia, decimas, donaria, votorum ſponta-neas oblationes, primogenita armenti et pecoris. Ibique ſacras epulas inſtituite, et laetamini cum familiis veſtris de negotiis veſtris, ſiquidem Jova Deus veſter vos fortunabit. Tum non facere vobis licebit, quod nunc hic vobis licet, ubi pro arbitrio veſtro vivitis. Nondum enim veniſtis ad quietam poſſeſſionem, quam Jova Deus veſter vobis dabit. Si tranſibitis Jordanem, et terram inhabitabitis, quam Jova Deus veſter vobis poſſidendam dabit, ita ut quieti ſitis ab inimicis veſtris, et ſecure agatis: in locum, quem Jova Deus veſter ſibi eliget, ut ibi colatur, afferre debetis, quae vobis praecipio, holocauſta veſtra et ſacrificia, de-

cimas, donaria, et ſpontaneas oblationes, quas vovebitis Jovae, et laetari coram Jova Deo veſtro, vos et filii, filiae, ſervi et ancillae veſtrae, et Levitae in oppidis veſtris habitantes, qui nullam inter vos habent poſſeſſionem hereditariam. Cave tibi, ne offeras holocauſta tua in quovis loco, quem vides, ſed in loco, quem Jova ſibi eliget in una aliqua tribuum veſtrarum. Ibi offeres holocauſta tua et facies omnia, quae tibi praecipio.

1 Reg. 8, 1 - 30. Tum Salomo convocavit ſeniores Iſraelitarum, tribuum proceres et familiarum principes Hieroſolymam, ad transferendam arcam foederis ex urbe Davidis, hoc eſt, ex Sione. Et convenerunt ad regem Salomonem omnes Iſraelitae in feſto menſis Ethanim, qui eſt menſis ſeptimus. Poſtquam igitur omnes ſeniores Iſraelitarum convenerant, ſacerdotes arcam ſuſtulerunt una cum tentorio conventus et omnibus vaſibus ſacris, quae in tentorio erant. Haec ſacerdotes et Levitae ſuſtulerunt. Rex Salomo autem et totus Iſraelitarum coetus, qui ad eum convenerat, una cum illo coram arca pecudes et boves immolarunt innumerabiles. Sacerdotes autem arcam foederis Jovae ad locum ſuum adduxerunt, ad adytum templi, ad ſanctum ſanctorum ſub alis Cheruborum. Nam Cherubim expandebant alas ad locum arcae, et tegebant arcam et vectes ejus ſuperne. Vectes tam longi erant, ut partes eorum extremae videri poſſent e ſanctuario ante adytum, foris autem non videri poſſent. Et quidem adhuc hodie proſtant. Arcae nil inerat, niſi duae tabulae lapideae, quas Moſes Horebi in illa collocavit, ubi Jova pactum cum Iſraelitis, cum e terra Aegypti exirent, pepigit. Cum ſacerdotes e ſanctuario egrederentur, nubes replevit templum, ut ſacerdo-

tes miniſterio ſuo ante arcam ne fungi quidem poſſent. Adeo majeſtas divina templum replevit. Tum dixit Salomo: Deus ſtatuit habitare in caligine. Domum exſtruxi tibi domicilium, in quo perpetuo maneas. Poſtea vultum convertit et ſalutavit totum Iſraelitarum coetum ſtantem, dixitque: Laudatus ſit Jova Deus Iſraelitarum, qui, quod Davidi patri meo promiſit, nunc implevit. Ex quo populum meum, Iſraelitas, ex Aegypto eduxi, nullam urbem ex omnibus tribubus Iſraelitarum elegi, ut ibi aedes, quam inhabitem, mihi exſtruatur. Davidem autem elegi, ut populo meo praeſit. David pater meus voluit Jovae Deo Iſraelitarum aedem aedificare. Deus autem dixit: bonum quidem eſt animi tui decretum. Verum non tu, ſed filius tuus ex te oriundus templum mihi aedificabit. Jova promiſſum ſuum implevit, ego ſum ſucceſſor patris mei Davidis in regno Iſraelitarum, prouti dixit Jova, et aedificavi templum Jovae Deo Iſraelitarum. Ibique locum arcae conſtitui, in qua eſt foedus Jovae, quod pepigit cum majoribus noſtris, cum eos e terra Aegypti educeret.

Salomo autem ſtetit coram ara Jovae praeſente toto Iſraelitarum coetu, ſuasque manus ad coelum extendit, atque ſic precatus eſt:

Jova Deus Iſraelitarum, non eſt Deus tui ſimilis, nec in coelo deſuper, nec in terra infra, qui ſervas promiſſa benigne data cultoribus tuis candide tibi viventibus. Servaſti cultori tuo Davidi patri meo promiſſum; quod pollicitus es, implefti hoc die. Serva itaque etiam illud promiſſum patri meo Davidi datum: unus e poſteris tuis, me praeſente, regno Iſraelitarum ſubinde praepoſitus

erit hac conditione, ſi poſteri tui ita mihi dediti ſunt, uti tu mihi deditus fuiſti.

Nunc, Deus Iſraelitarum, firmum ſit promiſſum tuum, cultori tuo Davidi, patri meo, datum. Equidem bene ſcio, te non in terra habitare. Coelum et coeli coelorum te non capiunt, multo minus haec a me exſtructa domus. Reſpicias ad preces cultoris tui, et ad ſupplicationem ejus, Jova Deus mi, ut exaudias hanc orationem precantem, qua te hodie imploro. Sint oculi tui aperti in hanc domum die et nocte, in locum, in quo te praeſentem fore dixiſti, ut audias preces, quibus cultor tuus illo loco te implorabit. Exaudias, inquam, me et populum tuum Iſraelem, qui ad hunc locum oraverit, et dum in loco ſedis tuae, in coelo, audieris, eſto propitius. —

Ad §. 77. Cf. *Ruperti* über die Gegenwart, die Wohnungen und Verehrungsplätze Gottes, nach der Denkart des höchſten Alterthums, in *Henkii* Magazin, T. VI. p. 210.

Gen. 22, 2. 14. Abrahamus filium ſuum unigenitum immolaturus propoſitum ſuum in monte perficere vult, ibi enim veteres ſacra facere ſoliti erant. *In montem Moriah* etc. Quinam ſit, dubitatur. Veteres interpretes Moriah pro nomine appellativo acceperunt, LXX. τὴν ὑψηλὴν. Aquil. καταφανῆ. Sed videtur hic potius προλῆψις eſſe, et is mons, qui poſtea Moriah dictus eſt, intelligendus, in quo deinde templum Salomonis aedificabatur.

Locum illum vocavit: יהוה יראה, i. e. *Deus videbit*, providebit, proſpiciet. Alluditur ad v. 8, ubi Iſaacus interrogavit patrem, quonam locorum ſit victima. Ad quam interrogationem pater perturbatus reſpondet: *Deus ſibi agnum proſpiciet.*

Quod cum revera factum sit, laetus huic loco nomen imponit novum. אשר היום יאמר, *quod hodie dicitur*, i. e. idem hodie proverbialiter repetitur. בהר יהוה יראה, *in monte Jovae providebitur*. Male LXX. κυριος ωφθη. Fortasse rectius pronunciatur יְרָאֶה, ut prioribus dictis respondeat.

Gen. 12, 6. 7. coll. Cap. 18, 1. *Ad locum Sichem*, ad locum, qui postea Sichem dictus est, Cap. 34, 2. אלון, *terebinthus*, vid. *Celsius* in hierobotan. P. I, p. 34 - 58, et *Mich.* Suppl. p. 72. etc. Secula durantes arbores, quercus, et his longaeviores terebinthi, maxime si stent singulae aut paucae, geographiae monumenta fiunt, atque ut talia in itinerariis atque ab historicis memorantur, urbibus etiam aliquando vicinis nomina daturae, ut in *Shawii* itinerario p. 41. germanicae versionis, p. 39, *Lythe el Bothum*, nec procul inde *Lhyte el-Botum*. Idem et apud Hebraeos obtinet, habes ibi *terebinthum Faran*, *terebinthum Mamre* etc. et h. l. *terebinthum More*. — והכנעני, *Cananaei jam tum terram occuparunt*. Phoenices nempe non indigetes Palaestinae fuerunt, sed primo, teste Herodoto, ad mare erythraeum oram incolebant, inde in Palaestinam migrarunt, in qua Nomadum colluvies incertis sedibus vagabatur. — Abrahamo, cum ad hanc terebinthum et postea ad Mamre terebinthos sederet, Jova apparuisse dicitur. Arbores itaque Jovae erant dilectae, uti quercus apud Graecos Jovi sacrae erant, ad quas oracula edidit. Hinc sicut olim quercus a Graecis, Celtis et Germanis, ita terebinthi ab Orientalibus propter ipsarum longaevitatem colebantur, tanquam arbores sacrae, sub quibus altaria extruebant, et sacra faciebant. Senec. Epist. V. 4: „Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvae et secretum

loci et admiratio umbrae fidem Numinis facit." Plin. hiſtor. natural. XII, 1: „Arbores fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura, etiamnunc Deo praecellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra, quam lucos et in iis ſilentia ipſa adoramus. Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuo ſervantur, ut Jovi aeſculus, Apollini laurus, Minervae olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin et Silvanos Faunosque et deorum genera ſilvis ac ſua numina tanquam et coelo attributa credimus."

Hoſ. 4, 13. Cultus idolorum, inprimis Baalis, ſub arboribus et in altis montibus adhuc prophetarum tempore continuabatur. Et illi eo magis dediti erant, quo magis ſimul occaſio data eſt turpia faciendi, et ſcortandi. In honorem enim Aſtartes ſ. Veneris aliorumque deorum innuptae, ſed maturae et nubiles, puellae corpus ſuum vulgabant. Hanc ob cauſſam Hoſeas haec addit verba על כן תזנינה, *propterea ſcortantur* etc. יפרדו, quod τῷ יזנחו reſpondet, valet: *ſegregant ſe religionis ergo.* קדשות, *meretrices ſacrae*, Veneris cultui conſecratae, Gen. 38, 21. 22. Devt. 23, 18. לבט, *corruere*, *humi proſterni.*

Geneſ. 28, 18. 22. Non ſolum aras, ſed etiam lapides devotionis ergo veteres erexerunt. Tales lapides in Aegypto, Phoenicia, aliisque in regionibus erigebantur. Sic in templo Apollini Delphis ſacro lapis aſſervabatur, et diebus feſtis oleo perfundebatur; item in aede Emeſſae Soli dicata, quo de lapide Herodianus Lib. V, c. 3. ſcribit: „Simulacrum vero nullum, graeco aut romano more manu factum ad ejus dei ſimilitudinem: ſed lapis eſt maximus, ab imo rotundus, et ſenſim faſtigiatus, propemodum ad coni figu-

ram. Niger lapidi color, quem etiam jactant coelitus decidisse. Eminent in lapide quaedam formae, quae nonnullae visuntur, ac Solis imaginem illam esse affirmant, minime humano artificio fabrefactam." Alios in antiquitate celebres lapides sacros praetereo, et solum commemoro lapidem nigrum Meccae in Caaba servatum, quem Mohammedani a Gabriele candidissimum de coelo delatum fuisse, cum mundus crearetur, sed nigredinem ob peccata hominum contraxisse fingunt. Hunc osculantur in circuitibus religiosis, quibus Caabam ambiunt. cf. *Reland.* de relig. mohammed. p. 118.

Hujusmodi lapides oleo consecratos Phoenicii Βαιτυλια vocant (בית אלהים, *domum Dei*). *Hesych.*: Βαιτυλος, οὑτως εκαλειτο ὁ δοθεις λιθος τῳ χρονῳ αντι Διος.

Hunc morem antiquissimum, lapides oleo ungendi et hac ratione Deo consecrandi, Jacobus secutus est. Cum visionem nocturnam habuisset, in memoriam rei lapidem erexit non artificio humano fabrefactum (artem enim sculptoriam Nomades nondum callebant), sed rudem et indigestam molem, nec quicquam nisi pondus iners. Ad hunc lapidem Deum semper praesentem fore credidit, ideoque eum בית אל, *domum Dei*, vocavit, domum, quam Deus incolat, et ubi adorari queat. *Arnobius*, si quando, inquit, conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis praesens, adulabar, adfabar.

Genes. 26, 23. 24. et Cap. 46, 1. 2. Locum, in quo Deum apparuisse putabant, sacrum habuerunt, ibique precati sunt. Hac de causa Abraham Berschebae, ubi visionem divinam antea habere ei contigit, aram struxit, ad quam Numen veneratus est. Id quoque valet de Genes. 21, 33.

Hoſ. 4, 15. Judaei exemplo Iſraelitarum ſe non ad moſcholatrian ſeduci patiantur. *Sin tu, o Iſrael, ſcorsaris*, vos Iſraelitae idololatriam exercetis. זנה de idololatria dici, notiſſimum eſt. אשם, *reatum contrahere, ſich verſündigen.* Dane et Bethele, poſtea quoque Gilgale, imagines vituli aurei, Jovam repraeſentantis, erectae ſunt, quas Iſraelitae coluerunt. Complures Judaeorum eo devotionis ergo peregrinabantur. A quo cultu ut ſibi caveant, propheta hortatur. *Bethel* oppidum autem eam ob cauſſam eligebatur, ut ibi eſſet aedes Jovae ſub imagine tauri culti, quia Bethel olim Deus Jacobo comparuerat, ibique Jacobus in honorem Dei aram exſtruxerat, Geneſ. 35, 1. Hoſeas autem, dum *Bethaven* nominat, per antonomaſiam Bethelem intelligit. *Hieronym.*: „Bethaven eſt Bethel, et quae prius vocabatur domus Dei, poſtquam vituli in ea poſiti ſunt, appellata eſt Bethaven, i. e. domus inutilis et domus idoli."

Devt. 12, 1 - 14. Moſes inculcat, ut Iſraelitae, cum Palaeſtinam occupaviſſent, omnia idololatriae veſtigia delerent, ne aediculis, lucis, ſylvis, aris ſacris, quas viderent, ad Deorum alienorum cultum inducerentur animi. Simul autem praecipit, ut tum ſacra ſua in-unico loco omnibus communi, quem Deus electurus ſit, rite faciant. —

Tabernaculum ſacrum, quod diverſas ſedes prioribus ſeculis habuerat, tandem a Davide Hieroſolymam translatum, et hocce templum portatile a ſucceſſore ejus Salomone in firmum et ſtabile templum commutatum eſt, a quo nempe aedes ſacra exſtructa eſt pro ſui temporis ratione ampla, magnifica et ſplendida. Ubi arca foederis cum Cherubis eam obtegentibus, ſymbolum majeſtatis divinae aſſervabatur, ibi Jova ipſe aderat, ibi hoſtias immolare et precari ſolum licebat. Inde ab

hoc tempore aliis in locis publica ſacra inſtituere vetitum erat. Sed longe aberat, ut Iſraelitae hanc legem ſemper ſervarent, ut potius ceremonias idololatricas diverſis in locis ſectarentur, et religionem vicinarum gentium amplecterentur, nec non diis ab his cultis aras, aediculas, lucos ſtruerent; et tandem decem tribus a Jerobeamo deſciſcentes alia loca ſancta, Danem et Bethelem, ſibi eligerent, in quibus Jovam more ſuo venerarentur.

Moſes omnino ſapienter ſanxit, ut ritus ſacri non niſi uno loco fierent. Cum enim Iſraelitae mirum in modum ad idololatriam propenſi eſſent, et inſano amore ad illam ferrentur: facile pro ſuo ingenii acumine praevidit, cultum fictorum Numinum, niſi ita arceatur, minime prohiberi poſſe.

V. 2. אבר־תאבדון, deſtruere debetis quascunque aediculas vel aras, quas ſub lucorum umbra invenietis. — V. 5. כי אם, *ſed.* אל מקום cohaeret cum תדרשו, *locum quaerere debetis.* Nam דרש conſtruitur cum אל, על, ל, Levit. 10, 16. 2 Sam. 10, 3. 2 Chron. 31, 9. לשום את שמו שם, *ut nomen ſuum ibi ponat.* Haec phraſis explicanda eſt ex altera in v. 11. obvia, לשכן שמו שם, *ut nomen ſuum ibi habitet.* Nomen Dei autem pro Deo ipſo ponitur. Deus vero ibi habitare dicitur, ubi ex voluntate ſua colitur. לשכנו per epexegeſin additur, *habitaculum ſuum quaerere debetis*, ובאת שמה, *eoque venire.* Pro ſingulari legerunt בָּאתֶם cod. Samarit. LXX. Syr. omnesque veteres.

V. 6. תרומת ידכם, *donaria veſtra*, propr. ſublatio, LXX. ἀφαιρεμα, donum de ſumma ablatum. נדבת, *ſpontaneitas*, per metonymiam *donum ſpontaneum*, *oblatio ſpontanea.*

V. 7. *Comedite ibi coram Jova.* Antiqui populi dies feſtos laeti agebant, convivia inſtituebant, choreas ducebant. Moſes igitur quoque permiſit, imo

juſſit, ut in feſtivitatibus Iſraelitae laetarentur epulas habendo et ſobrie compotando. Quod ut fieri poſſet, maxima pars carnis victimarum, quae non in altari igne comburebatur, in uſum ſacrificantis cedebat, qua ipſe cum familia ſua veſcebatur. Quae epulae ſacrificales cum in honorem Dei et in loco ſanctuarii haberentur, convivae coram Jova edere dicebantur. בכל משלח ידכם, *de cunctis, ad quae miſeritis manus veſtras*, ſ. de proventu annuo, qui manuum labore provenerat, ſ. de negotiis veſtris. — צאנכם - בכורות, *Dathius*, „recte, uti arbitror, *Michaelis* ſtatuit in Jure moſaico P. III. §. 145. ut decimarum, ita quoque primogenitorum duplex genus fuiſſe: alterum, quod Deo ſive Levitis in partem ſalarii datum ſit; alterum, quod ab Iſraelitis in epulis ſacrificalibus conſumeretur; illud quidem Moſen in populo iſraelitico primum inſtituiſſe, hoc vero ut ritum antiquum, fortaſſe inde a Jacobo ſervatum, inveniſſe, neque abrogaſſe.„

V. 8. *Quae nos fecimus hic etc.* Moſes non accuratam legum ſuarum obſervationem ab Iſraelitis poſtulavit, quamdiu in deſerto arabico degebant. Etenim ibi multis rebus ad ſacra neceſſariis deſtituti erant. איש, ſc. עשׂה, *quilibet facit rectum in oculis ſuis*, pro lubitu ſuo vivit. V. 12. בשעריכם, *in portis veſtris*, i. e. oppidis. Portae erant loca praecipua oppidorum, in quibus homines otioſi conveniebant.

1 Reg. 8, 1 - 30. In hoc capite inauguratio novi templi a Salomone facta deſcribitur. Primo arca foederis una cum tentorio ſacro a Sione, ubi hactenus conſtituta fuerat, in novum templum translata eſt a ſacerdotibus, jubente rege, et praeſentibus populi principibus. V. 6. דביר הבית, *adytum templi*, idem quod ſanctiſſimum vocatur. דביר propr. eſt *poſtica pars alicujus rei*, a r. דבר, *pone*

fuit. Erat templi pars poſtica verſus occidentem poſita, quam ſitus occidentalis ſignificationem radix arabica in ſpecie habet, cf. *C. B. Michael.* diſſertat. de locorum differentia ratione anticae, poſticae. כרובים animalia ſphingica, ex figuris hominis, leonis, aquilae et tauri compoſita, ac e ligno ſculpta ab uno pariete ad alterum alas ſuas expanderunt, ſub quibus arca depoſita eſt, ut ſub illarum umbra ac tutela veluti requieſceret.

V. 8. ויהיו שם, *et ibi proſtant ad diem hodiernum.* Haec verba non ſunt epitomatoris, qui noſtros libros Regum ex antiquioribus regni iſraelitici annalibus aliisque monumentis hiſtoricis conſcripſit, hic enim non ante exſilium babylonicum floruit, ſed vetuſtioris illorum annalium conditoris, cujus verba compilator retinuit. Hisce indicare voluit, vectes arcae adhuc ſua aetate ex adyto prominentes conſpici potuiſſe.

V. 9. *Arcae nil praeter duas tabulas lapideas inerat.* Caeterae enim res, quas Moſes arcae indiderat, ſex fere ſeculorum decurſu obſoletae factae et corruptae erant, v. c. Manna, virga Aaronis.

V. 10. 11. *Nubes replevit templum.* Num haec nubes fuit miraculoſa, et in illa שכינה, ſymbolum majeſtatis divinae, latuit? Rabbinis ſi fidem habemus, non dubitandum eſt, ſub hac nube occultum fuiſſe Deum, a quo ſplendor lucis (כבוד יהוה) quandoque emicuerit, quo totum templum colluſtratum ſit. Super arca foederis nempe continuo columnam illam nubis et ignis dictam, quae Iſraelitas in deſerto praeiverat, quieviſſe. At hoc eſſe commentum rabbinicum, nullis idoneis ſuffultum argumentis, *Thalemannus* probavit in diſſertat. de nube ſuper arca foederis, Lipſ. 1756. Ipſa illa columna ignis et nubis nil aliud erat, quam pertica, quae in itinere praeferebatur, et in caſtris

ante praetorium erecta fuit, cujus in ſuperiori parte ignis accenſus alebatur. Quam rem uſu Orientalibus receptam Alexander imitatus eſt. Lib. V, c. 2. „Tuba, quum caſtra movere vellet, ſignum dabat, cujus ſonus plerumque, tumultuantium fremitu exoriente, haud ſatis exaudiebatur, ergo perticam, quae undique conſpici poſſet, ſupra praetorium ſtatuit, ex qua ſignum eminebat pariter omnibus conſpicuum, obſervabatur ignis noctu, fumus interdiu."

Quid igitur fuit nubes noſtra, quae domum Dei replevit? Fumus ex ſuffitu, qui a ſacerdotibus adolebatur. cf. Levit. 16, 2. et 12. 13.

V. 12. אז אמר, *tum precatus eſt.* Sequitur ſecundo ipſa inauguratio. אמר לשכן בערפל, *Deus ſtatuit habitare in caligine.* Eſt allufio ad Levit. 16, 2. Exod. 19, 9, *dixit Jova, ſe in caligine denſiſſima habitaturum eſſe.* Salomo igitur in populi praeſentis mentibus cogitationem excitare volebat, Deum, qui nube denſiſſima templum occuparit, libenter ſibi hoc domicilium delegiſſe. בנה בניתי ſubito ad Deum orationem convertit in perſona ſecunda. מכון לשבתך, *locus firmus ad habitandum*, ſedes fixa. ברך, *fauſta apprecari*, עמד, *ſtabat* ad precandum, Gen. 18, 22. בפיו, *per os ſuum*, i. e. per prophetam Nathanem, interpretem Dei, 2 Sam. 7, 4. בידו מלא, *manu ſua implevit*, vi ſua promiſſis ſtetit.

V. 18. *Quod fuerit in corde tuo, aedificare domum nomini tuo, bene feciſti, quod fuerit in corde tuo*, i. e. laudabile eſt, quod decreviſti, templum mihi aedificare. V. 21. ברית יהוה, *foedus Jovae*, i. e. leges divinae. Quod enim Deus Iſraelitis leges et promiſſiones dederit, hi autem obſequium illis praeſtare ſpoponderint, *foedus* et *pactum* cum Deo initum dicitur, de quo poſtea plura dicemus. —

V. 24.

V. 24. כיום הזה, ſicut hodiernus dies teſtatur. נאמן, *ratum ſit.* — V. 27. vid. paragraphum de omnipraeſentia divina. Ex hac prece Salomonis diſcimus, aedem Deo ſacram a ſe eo fine exſtructam eſſe, ut Deus ſeſe ibi manifeſtet Iſraelitis. Nam Deum, quem coeli non capiant, templum hoc non inhabitare ceu homines, rex cognovit. Porro ut ibi ſacrificia offerat, et pro ſua ac populi ſui ſalute deprecetur. Fuit itaque בית תפלה, *domus precum*, uti ab anonymo in Jeſ. nominatur. Etenim templa veterum eum uſum habuerunt, non ut ſacerdotes de religionis placitis homines erudirent, ſed ut Iſraelitae inter hymnos decantatos et preces Deo grates ſacrificiis evchariſticis agerent, delictorum veniam ſacrificiis piacularibus peterent, et opem divinam imploraret. In ſequentibus Salomo ad ſpecialia tranſit beneficia, quae, ſi Deus ſite invocetur, concedere velit.

§. 78.

De tempore, quo ritus ſacros obſervarunt.

Templum quidem ſemper patuit, et ſacerdotes quotidie in illo miniſteriis ſuis fungebantur. Quovis die duae victimae pro holocauſtis macratae *ſunt*, altera matutino tempore, altera veſperi. At praeterea dies feſti inſtituti fuerunt, quibus ceremoniae ſacrae praecipue peragerentur. *Primo* Sabbatum, ſ. ultimus cujusvis ſeptimanae dies, Deo ſacer fuit, quo ab omnibus laboribus abſtinendum erat, et praeter quietem ſervis quoque et animalibus conceſſam laeta agitabantur convivia, Gen. 2, 2-3. Exod. 16, 22-30. 20, 8-11. 31, 12-17. 35, 2-3. Jer. 17, 21-22. Ezech. 20, 20. Sabbato additi ſunt ſacrificio jugi duo agni cum fertis et libaminibus, Numer. 28, 1-10. *Secundo* feſtivitates annuae

praecipue erant tres majores, ſcilicet Feriae *Paſchatis*, *Pentecoſtes* et *Tabernaculorum*, Exod. 23, 14. ſſ. Levit. 23, 4. ſſ. Deut. 16, 16. majori ſolennitate et quidem per ſeptem dies celebrandae, ac ſabbatum. Hisce omnes mares Iſraelitarum in loco ſanctuarii cum muneribus comparere, et Deo ſacra offerre tenebantur, ſacrificia adaugebantur, epulae ſacrae habebantur. Tribus hisce feſtis majoribus duo alia minora acceſſerunt, a Moſe inſtituta. Quorum prius fuit initium anni, Numer. 20, 1-6. Levit. 23, 24. Poſterius fuit *dies expiationis*, יום הכפרים, Levit. 23, 27. 25, 9. praeter alios ritus jejunio celebrandus.

Geneſ. 2, 2. 3. Poſtquam Deus die ſeptimo opus ſuum perfeciſſet, quod fecerat, quievit die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod fecerat. Deus autem fauſtum et ſanctum declaravit diem ſeptimum, quia illo quievit ab omni opere ſuo, quod fecit.

Exod. 16, 22-30. Sexto autem die duplicem portionem colligere debebant, duos gomeres in ſingulos. Venerunt igitur principes populi et indicarunt factum eſſe, quod praecepiſſet. Tum Moſes ulterius eis monſtravit, Jovam praecipere, Sabbatum ſive ſacram quietem cras eſſe debere. Quod torrere vellent, torrerent; quod coquere vellent, coquerent; quae ſupereſſent, ſervarent in craſtinum.

Cum autem partem in diem craſtinum ex praecepto Moſis ſervaſſent, non foetuit, nec vermis in ea exſtitit. Moſes igitur dixit: hodie illa veſcimini, nam hic dies eſt Sabbatum Jovae, hodie in agro nihil invenietis. Sex diebus colligere debetis, die ſeptimo eſt Sabbatum, quo non exiſtet. Nonnulli e populo, qui nihilominus exierant, nihil

invenerunt. Moſen Jova allocutus eſt: quamdiu recuſatis praeceptis et legibus meis obtemperare? Jova Sabbatum inſtituit, propterea ſexto die duplicem panis portionem vobis dat. Manete itaque quilibet ſuo loco, nec egredimini die ſeptimo. Hinc populus die ſeptimo feriatus eſt.

Exod. 20, 8 - 11. Recordare diei Sabbati, ut illud ſanctifices. Sex diebus laborare debes, et omnia opera tua perficere, tu et filius tuus, filia, ſervus et ſerva, jumentum tuum et peregrinus in oppidis tuis. Nam ſex diebus Jova coelum et terram creavit, mare et omnia, quae ei inſunt, et quievit die ſeptimo, propterea Jova diem Sabbati fauſtum et ſanctum declaravit.

Exod. 31, 12 - 17. Jova Moſen ita allocutus eſt: haec Iſraelitis promulga. Sabbata mea obſervare debetis, nam hoc eſt ſignum inter me et vos per veſtras generationes, ut cognoſcatis, me eſſe Jovam vos ſanctificantem.

Obſervare debetis Sabbatum, nam hoc eſt vobis ſanctum, profanantes illud interficientur. Qui in illo opus perficit, ille e populo ſuo exſcindetur. Sex diebus opera perficiantur, die ſeptimo erit Sabbatum Jovae ſacrum. Qui die ſeptimo laborat, interficietur.

Iſraelitae igitur Sabbatum obſervent, et eo-ſum poſteri in perpetuum. Inter me et Iſraelitas hoc erit ſignum perpetuum. Deus enim ſex diebus coelum et terram creavit, die ſeptimo autem requievit, et refectus eſt.

Exod. 35, 2. 3. Sex diebus res veſtras curate, dies ſeptimus autem vobis ſanctus ſit. Sabbatum eſt Jovae ſacrum. Quicunque in eo laborarit, interficiatur. Lucem nolite accendere in omnibus domiciliis veſtris die Sabbati.

Jer. 17, 21. 22. Sic inquit Jova: nolite onus die Sabbati ferre, vel per portas Hierosolymae adferre. Ex aedibus vestris onus die Sabbati ne efferte, nec laborate, sed sanctificate diem Sabbati, quemadmodum majoribus vestris praecepi.

Ezech. 20, 20. Sabbata mea sanctificate, quae sunt signum inter me et vos, ut cognoscatis, me esse Jovam Deum vestrum.

Numer. 28, 1 - 10. Jova cum Mose hunc in modum est collocutus: haec Israelitis promulgato: oblationes mihi sacras, quae sicut dapes meae igne mihi immolantur, diligenter curate suis quasque temporibus. Sacrificium vero, ita perges ad eos, quod mihi quotidie offerre debetis, sunt duo agni anniculi sine vitio, quorum alterum mane, alterum circa vesperam facere debetis, una cum decima parte Ephae similae et admixta quarta parte Hini olei tusi in fertum. Hoc est juge sacrificium mihi jam ad montem Sinai oblatum ad me placandum. Libamen ejus constet quarta parte Hini pro singulis agnis, in loco mihi sacro libandum. Alterum agnum circa vesperam, sicuti matutinum, una cum eodem ferto et libamine faciatis, in sacrificii odorem mihi accepti. Die Sabbati duos agnos anniculos eosque integros offeretis una cum ferto duarum decimarum similae et olei admixti et libamine suo. Quod Sabbati sacrificium praeter juge sacrificium cum suo libamine offerendum est.

Exod. 23, 14 - 17. Tribus vicibus mihi in anno festum celebretis. Festum azymorum, quo per septem dies pane non fermentato vescemini, quemadmodum vobis praecepi, dicto tempore, nempe mense Abib: eo enim Aegypto exiistis. Neque vacui coram me comparebit. Festum mes-

fis, quo primitias frugum, quibus agros conſeviſtis, offeratis. Et feſtum collectionis ſub finem anni, poſtquam fructus agrorum collegiſtis. Ter quotannis ſiſtant ſe omnes mares coram me domino Jova.

Levit. 23, 4-44. Haec ſunt feſta Jovae, ſacri conventus, ſtatis temporibus a vobis indicendi. Quarto decimo die primi menſis circa veſperam Paſcha eſt Jovae celebrandum. Quinto decimo ejusdem menſis feſtum azymorum incipit, quo per ſeptem dies panibus ſine fermento veſcamini. Horum dierum primo ſacrum conventum habeatis, nec ullum opus ſervile agatis. Per ſeptem illos dies ſacrificia Jovae immoletis, ultimo vero horum dierum iterum conventus ſacer ſit, nec labores ulli ſuſcipiantur. —

Item Jova Moſen iuſſit haec quoque Iſraelitis edicere:

Cum veneritis in terram, quam vobis daturus ſum, meſſis veſtrae manipulum primitiarum ad ſacerdotem afferte, qui eum ante Jovam porriciat ad favorem vobis conciliandum. Poſtridie Sabbati hoc faciat. Eodem die, quo manipulum porricitis, facietis quoque Jovae holocauſtum agno integro anniculo; item ferto, quod conſtet duabus decimis ſimilaginis oleo permiſtae, Jovae in odorem ſuavem adolendae una cum libamine vini, quarta parte Hinis. Pane aut ſpicis toſtis aut viridibus veſci vobis non licet uſque ad ipſum illum diem, quo Deo veſtro fertum hoc obtuliſtis. Lex haec ſit a poſteris veſtris in perpetuum obſervanda per totam terram veſtram. —

Poſtridie illius Sabbati, quo manipulum porriciendum obtuliſtis, numerate ſeptem hebdomadas integras, uſque ad poſterum diem ſeptimae

hebdomadis, dies nimirum quinquaginta, tum Jovae novum fertum libabitis. Ex domiciliis veſtris offeretis duos panes porriciendos, ex duabus decimis ſimilaginis, addito fermento. Quae ſunt Jovae primitiae. Praeter panes illos immolabitis ſeptem agnos integros anniculos, juvencum unum et arietes duos in ſacrificium ſolidum cum fertis ſuis et libaminibus in ſuavem odorem Jovae. Porro offeretis hoedum, ſacrificium piaculare, et duos agnos anniculos, ſacrificium evchariſticum. Porriciet ſacerdos ea Jovae cum panibus primitiarum, quae, ut et agni duo Jovae conſecrati, ſint ſacerdotis. Hoc ipſo die indicetis ſacrum conventum, atque omnes labores ſint prohibiti. Lex haec ſit vobis per omnes aetates in terra veſtra obſervanda. Cum meſſem facietis, extremas agrorum veſtrorum partes ne demetatis, nec ſpicilegium habeatis. Pauperi haec et peregrino relinquite. Jova ſum Deus veſter. — Porro Jova Moſen haec Iſraelitis dicere juſſit: primus dies menſis ſeptimi ſabbatum vobis ſit, dies feſtus, quo tuba clangatur, et ſacer conventus indicatur. Ab omni labore abſtinete, et ſacrificia Jovae offerte. Inprimis vero inquit Jova Moſi: decimo die ſeptimi hujus menſis (qui eſt dies expiationis,) ſacrum conventum indicatis, jejunetis, et Jovae ſacrificia immoletis. Nulla prorſus negotia hoc die ſuſcipiatis. Dies eſt, quo Jovae Deo veſtro expiemini. Qui eo die non jejunaverit, tollatur e medio populariorum ſuorum. Qui vero eo die laborem peregerit, hunc ego ipſe perdam. Omnis omnino labor prohibitus ſit. Lex haec ſit in terra veſtra perpetuo obſervanda. Sabbatum quietis ſit dies ille, quo jejunetis, nono die illius menſis a veſpera uſque ad veſperam ſequentis diei. —

Porro Jova Moſen haec Iſraelitis edicere juſſit: quinto decimo die menſis ſeptimi eſt feſtum tabernaculorum per ſeptem dies Jovae celebrandum. Quorum primo ſacer conventus habeatur labore omni intermiſſo. Septem diebus ſacrificia Deo offeratis, octavo die ſacer conventus indicatur et Jovae victimas immoletis. Feriae ſunt, ceſſent omnis generis labores. Haec ſunt feſta Jovae, quae tanquam ſolennes conventus proclametis, quibus ſacrificia Jovae offeratis, holocauſta, ferta, victimas et libamina ſuis quaeque diebus, praeter Sabbata Jovae et praeter alia dona tum votiva tum voluntaria. Inprimis vero quinto decimo die menſis ſeptimi, poſtquam omnes terrae fruges collegiſtis, feſtum Jovae celebrate per ſeptiduum. Primus et octavus horum dierum ſunt Sabbata. Primo die adhibete fructus arboris pulcherrimae, palmarum ramos, frondesque denſarum arborum ſalicumque fluvialium, atque hilares celebrate feſtum in honorem Jovae per ſeptem dies. Quotannis haec ſolennitas a vobis peragatur, perpetua lege poſteris veſtris tradenda, die ſeptimo. In umbraculis omnes Iſraelitae indigenae ſeptem dies degant, ut poſteri veſtri ſciant, habitaſſe Iſraelitas ſub umbraculis, cum eos ex Aegypto educerem. Ego ſum Jova Deus veſter. Moſes igitur indicavit Iſraelitis hos dies feſtos Jovae celebrandos.

Devt. 16, 16. Ter quotannis compareant omnes mares veſtri coram Jova, in loco, quem eliget, nimirum feſto azymorum, ſeptimanarum, et tabernaculorum, neque vacui tum compareant coram Jova.

Ad §. 78. Geneſ. 2, 2. 3. et Exod. 16, 22-30. De antiquitate Sabbati quaeſiverunt. Alii defendunt,

Sabbatum ſtatim poſt mundum conditum a Deo eſſe inſtitutum, et deinde a piis Dei cultoribus celebratum, ab impiis gentibus neglectum eſſe; Moſen legem de Sabbato reſtauraſſe, denuo inculcaſſe, et novas conditiones adjunxiſſe. Rationes ſententiae ſuae potiſſimum e locis duobus ſupra excitatis petunt, quorum in priori creatione mundi abſoluta Deus quieviſſe et diem ſeptimum conſecraſſe legitur; in poſteriori autem Sabbatum jam ante legislationem in monte Sinai factam celebretur. Vid. *Mich.* jus moſaic. T. IV, §. 195, et *Iken.* diſſert. de inſtitutis et caerimoniis legis moſaicae ante Moſen.

Alii autem tuentur, Sabbatum ante Moſen non cognitum fuiſſe, ſed ab eo in memoriam liberationis a ſervitute Aegyptia inſtitutum eſſe, cf. *Selden.* de jure naturae et gentium L. 3, c. 14 - 23. et *Spencer* de legibus Hebr. ritualibus L. 1, c. 5. Sect. 7 - 13. Argumenta vero eorum haec ſunt: 1) Nullum veſtigium, diem ſeptimum hebdomados ſacrum fuiſſe, in hiſtoria antiquiorum populorum apud Aegyptios aut alias gentes inveniri potuit. Ea, quae proferebant, teſtimonia ſi diligentius contemplaris, nullius ſunt momenti, et omni vi probandi carent. Judaei ab aliis gentibus contumelioſe, qui ſoli Sabbatum celebrarent, *Sabbatarii* dicti ſunt. 2) In Geneſi, in qua hiſtoria patriarcharum traditur, et quo ſtudio Deum coluerint, aras ei exſtruxerint, nomen illius invocarint et ſacra fecerint, exponitur, nullibi fit mentio Sabbati ab illis celebrati. 3) Moſes perſpicuis verbis declaravit, ſe Sabbatum in memoriam libertatis a jugo Aegyptiorum, in quam vindicati ſint, inſtituiſſe. Deut. 5, 15: *et recorderis, te ſervum fuiſſe in terra Aegypti, et Jovam Deum tuum te inde*

eduxiſſe manu valida et brachio extenſo. Propterea Jova Deus tuus tibi praecipit, ut diem Sabbati celebres. 4) In locis ſupra citatis Exod. 31, 12-17. et Ezech. 20, 20. Sabbatum deſcribitur eſſe *ſignum* foederis inter Deum et Iſraelitas. Itaque docetur, eo, quod Iſraëlitae diem hebdomadis ſeptimum feſtum habuerint, illos ab aliis gentibus omnibus diſtinctos eſſe. 5) Denique Nehem. 9, 14. adfirmat, Deum *per Moſen* legem de Sabbato aliaque ſua praecepta promulgaſſe. —

Haec ſi vera ſunt, quid de loco Geneſ. 2, 2-3. judicandum, in quo Deus diem ſeptimum, quo novas res producere deſiit, ſanctificaſſe dicitur? Nonne aperte ad Sabbatum reſpicitur, ejusque celebratio commendatur? Quia hoc negari nequit, ſtatuunt, vel hunc locum cum numero ſex dierum a manu ſeriori interpolatum eſſe; (Ita *V. Gabler.*) vel totum carmen, prouti nunc eſt, Moſe non eſſe antiquius, quam ſententiam ego amplector, vid. quod in ſect. de creatione mundi ad Geneſ. 1. prolixius monuimus. Caeter. cf. *Gableri* Urgeſchichte T. 1, p. 59-69, et ejusdem neuer Verſuch über die moſaiſche Schöpfungsgeſchichte p. 38-71.

ויברך ויקדש, *fauſtum et ſacrum declaravit.* ברך eſt *fauſta precari*; ſi de Deo dicatur, *velle, ut fauſtum ſit aliquid.* Sic oppoſitum *maledicere diei* valet infauſtum habere, Jer. 20, 14. ברא לעשות, *perfeceraf.* Eſt Hebraiſmus, quo infinitivus verbi ſimilem actionem indicantis verbo finito jungitur, Eccleſ. 2, 11. Jud. 13, 19. 2 Reg. 21, 6. Pſ. 126, 2. Vid. *Glaſſ.* philol. p. 273.

Nonne vero alter locus Exod. 16. probat, Sabbatum prius extitiſſe, quam Moſes leges ſuas dederit? Hoc quidem inde elucet, Sabbatum jam

ante legislationem Sinaiticam a Mose institutum fuisse, mox postquam ferias Paschatos ordinaverit; minime vero sequitur, Mosen praecepto de Sabbati celebratione avitam quandam religionem tenuisse.

לחם משנה, *duplex portio panis.* שני העמר, *duo gomeres*, mensurae genus, decima pars Ephae. נשיאי העדה, *principes coetus*, delegati totius populi. שבתון erit שבת, *cessatio*, קדש ליהוה! *Jovae sacra.* — *Quod torrere velitis, torrete.* *Rosenmüll.*: Manna duplici modo torreri potest; uno, si, nulla alia adhibita materia, super modico igne liquescit; et ita similis fit saccharo hordeaceo, (*Gerstenzucker*,) quod in nostris officinis *manna tabulata* vocatur; altero, si admixta farina frigitur, ut placentae mellitae instar fiat. Quomodo vero Manna coquatur, definiri non potest. Fortasse admixta aqua coquebatur in potum, similem ei, quem ex aqua, melle silvestri, i. e. manna et aromatibus ab Arabibus confici scribit Diod. Sicul? L. XIX, c. 104. — Quomodo factum sit, ut die Sabbati Mannam non invenerint, et qua ratione Manna in alterum diem servari potuerit, *Illustr. Eichhorn.* in biblioth. litterat. bibl. explicare studuit. שבו איש תחתיו, *manete quilibet loco suo.*

Exod. 20, 8 - 11. Lex promulgata est in monte Sinai, decem praecepta per Mosen data sunt, e quibus quartum, si recte numeramus, celebrationem Sabbati commendat. Cum verbis hujus legis autem conferri meretur repetitio legis Devt. 5, 12 - 15: „Serva diem Sabbati, ut illum sanctifices, sicut tibi praecepit Jova Deus tuus. Sex dies laborabis, et opus tuum perficies, die septimo erit Sabbatum Jovae Dei tui, non facies opus, nec tu, nec filius tuus, filia, servus et serva, bos, asinus et jumentum tuum, et peregrinus, qui

in oppidis tuis versatur, ut servus et serva tua fruatur quiete sicut tu. Et recordare, te fuisse servum in terra Aegypti, et Jovam Deum tuum te inde eduxisse manu valida, et brachio extenso, propterea Jova Deus tuus tibi praecepit, ut diem Sabbati serves." In hoc loco alia ratio commemoratur, cur Deus Sabbatum instituerit, ut nempe Israelitae memoriam recolant libertatis a jugo Aegyptiorum et quietis sibi concessae. In Exodo autem haec adfertur ratio, quia Deus post ἑξαήμερον creationis die septimo quieverit, quovis die septimo homines quoque a labore cessare debere. Haec verba a collectore Pentatevchi, qui ex mea sententia Davidis aetate floruit, illudque carmen de creatione Universi in I. Cap. Genes. ante oculos habuit, addita esse videntur. Sabbatum itaque judaicum est festivitas religiosa in memoriam liberationis a servitute, qua oppressi Israelitae ingemiscebant, a Mose instituta, quam ideo quovis die septimo iterari voluit, quia numerus septenarius erat sanctus. Hinc majores feriae per *septem* dies celebrabantur. Politice quoque utilissimum erat, quod uno septimanae die vacuitas a labore daretur.

Peregrinus, qui in portis tuis, exteri, qui apud Israelitas erant servi. *Urbes* passim dicuntur *portae*, Devt. 12, 15. 17.

Exod. 35, 2. 3. Haec lex Palaestinae tantum, nec omnibus regionibus est apta. Scilicet in regionibus calidioribus *coena* ordinarium epulum esse solet. Judaei igitur, qui diem a vespera ad vesperam numerabant, die hebdomadis sexto paulo ante Sabbati initium cibos parare adeoque coena frui, statimque post Sabbati finem novam coenam instruere poterant igne accenso. Non videtur haec lex vetare ignem ad frigus depellendum incendere.

Vid. *Mich.* jus moſ. P. IV, §. 187. *Roſenmüller* ad h. l.

Jer. 17, 21. 22. Jeremias cauſſas adfert omnium malorum, idololatriam, confidentiam, profanationem Sabbati. השמרו בנפשותיכם, *cavete vobis.* כל מלאכה לא עשה eſt Hebraiſmus, cujus eſt vis: *ab omni labore abſtinere.* — Quinam vero homines obſtricti ſunt, ut Sabbatum celebrent? non omnes populi, ſed *majores Iſraelitarum* ſunt ii, quibus ſolis lex de Sabbato data eſt.

Ezech. 20, 20. Sabbatum erat ſignum, quo diſtinguebantur Iſraelitae ab aliis gentibus, et quo dignoſcebantur, ſe Jovae cultui eſſe addictos.

Numer. 28, 1 - 10. In hoc capite ſacrificia praeſcribuntur, ſingulis diebus, Sabbato aliisque feſtis offerenda. A v. 2 - 8. Sacrificium juge, v. 9. et 10. ſacrificium Sabbati deſcribitur. V. 2. את קרבני ־ במועדו propr. *oblationem meam, panem meum tanquam ignes odoris mihi grati obſervare debetis, ut mihi ſuo tempore adferatis.* לחמי, *cibus meus*, ſacrificia erant dapes Deo propoſitae, quorum nidor ad coelum aſcendere et Dei nares ſuavi ſenſu adficere credebatur. Hinc additur לאשי ריח ניחוח, *in ignes odoris mihi grati*, i. e. igne concremanda eſt victima, ut ſuavem odorem olfaciam et naribus attraham. ריח ניחוח propr. *odor ſtimuli*, i. e. ſtimulans, naſum titillans, r. נחח, *ſtimulavit.* זה האשה, *hic eſt ignis*, i. e. haec eſt victima igne comburenda. תמימים, *integri*, quibus nulla eſt labes aut nullum vitium, ἄμωμοι. Quod Deo optimo dabatur dono, perfectum eſſe debebat. עשה, *parare, praeparare* in ſacrificium, Jud. 6, 19. 1 Reg. 17, 26. בין הערבים, *inter duas veſperas*, i. e. veſpera media, ab illo tempore, quo ſol ad occaſum vergere incepit, ſive, uti Joſephus ait, de bell. jud. L. VI, c. 9, §. 3, ab hora Judaeorum nona uſque

ad undecimam. איפה aridorum menſura frequentiſſima, ejusdem capacitatis ac Bathus, Ezech. 45, 11. Capiebat igitur LXXII ſextarios aut $4\frac{1}{2}$ modios romanos. Cf. *Eiſenſchmid* disquiſ. de ponderibus et menſuris etc. Argentor. 1737, p. 71. סלת, *ſimila, farina ſelecta*, a r. arab. סאל, *ſegregavit*, vel a r. arab. סלח, *abſterſit*, et סָלֶת, *genus hordei cortieis expers*. מנחה propr. *donum*, ſpec. ſacrificium incruentum, ex farina offerendum, ſertum. כתית, *tuſum*. הין erat ſexta pars Bathi, capiebat, teſte Joſepho, duo congios atticos; congius atticus vero referebat ſex ſextarios. העשיה quod *factum eſt* ſc. primum, ſenſ. hoc eſt ſacrificium juge primo ad montem Sinai mihi oblatum. נסך, *libamen*, ſacrificium e vino offerendum. נסכו, *libamen ejus*, ſc. utriusque agni. בקדש הסך נסך שכר, *in ſanctuario liba libamen ſicerae*. הסך Imperativ. in Hiph. שכר propr. *potus inebrians*; h. l. ſpeciat. *vinum*.

Exod. 23, 14 - 17. Lex de tribus feſtis annuis majoribus celebrandis. שלוש רגלים, *tribus vicibus*. רגלים *vices*, i. e. motus peduin in terram, quia vices ita indicari ſolent. חג המצות, *feſtum azymorum*, Paſcha. חדש האביב, *menſis ariſtae*, i. e. Niſan, qui circiter ex parte Aprilis noſtro reſpondebat. Ita vocabatur, quia in illo menſe ariſtae maturae Deo offerri debebant. חג הקציר, *feſtum meſſis*, Pentecoſtes, in quo Deo grates pro meſſe feliciter abſoluta fructibusque demeſſis peragebantur. Et in ſignum grati animi מעשים בכורי, *primitiae fructuum* offerebantur. חג האסף, *feſtum collectionis* ſc. uvarum vitis, quod abſoluta vindemia celebrabatur. Etenim cum vitis fuerit praecipuus fructus Palaeſtinae: gratiae a toto populo Deo benefactori peragendae erant. Hoc feſtum alias dicitur feſtum tabernaculorum, et in Octobrem incidiſſe videtur, non autem in Septembrem,

quo menſe hodierni Judaei illud celebrant. Cf. *Michael.* commentat. de menſibus Hebraeor. — *Ne vacui coram me comparete.* Uti enim indecorum putabatur, ad principes absque muneribus ſecum allatis accedere: ita etiam ad aram Dei vacuis manibus comparere non licebat. — *Ter quovis anno omnes mares coram Domino Jova comparęant*, ut animi religionis vinculo uniti firmius jungerentur, ne respublica in plures divelleretur. Cf. *Michael.* jus moſ. P. IV, §. 198.

Levit. 23, 4 - 44. Lex de diebus feſtis anniverſariis; de Paſchate, v. 4 - 8. מקרא, *conventus*, ita dictus, quia dies feſtus proclamabatur, et populus convocabatur, quod hodie adhuc in Turcia a praeconibus de turribus dies feſtos indicentibus fieri ſolet. *Primo menſe*, Niſan, quo annus eccleſiaſticus incipiebat. Quid ערבים ſit, jam alibi dictum eſt. פסח propr. *laxatio*, a r. arab. פסח, *laxavit*, *liberavit*, inde 1) *convivium in memoriam factae liberationis inſtitutum*, 2) *feſtum paſchale*. מלאכת עבדה, *opus ſervile*. Dies primus et ultimus erat ſolenniter celebrandus, et in illis omnes labores ceſſare debebant. אשה, *incenſum*, i. e. ſacrificium igne accendendum.

V. 9 - 14. de feſto primitiarum. עֹמֶר idem quod עֳמִיר, *manipulus*. Ita Vulg. R. arab. עמר, *arctius colligavit*. *Primitias frugum* etc. ut gratum erga Deum animum profiterentur, primitias frugum Deo obtulerunt. Quod etiam Aegyptii fecerunt, qui Iſidi primitias, teſte Diodoro Siculo, afferebant. הניף את העמר, *agitando manipulum afferret*. קלי, *frumentum toſtum*, hordeum ſeu triticum, quo Orientales veſci ſolent. *Haſſelquiſt* in itinerario ſuo p. 191. narrat: Auf dem Wege von Akre nach Seyde trafen wir einen Hirten mit ſeiner Heerde an, die eine der gröſsten war, die

ich in dieſen Ländern geſehen habe. Er hielt ſeine Mittagsmahlzeit, die aus halbreifen Weizenähren beſtand, welche er röſtete, und mit eben ſo groſsem Wohlſchmacke aſs, als ein Türke ſein Pillaus. Er nöthigte uns mit ihm zu eſſen und gab uns dazu warme Milch zu trinken. Gebratene Aehren iſt ein uraltes Gerichte, deſſen ſchon im Buche Ruth erwähnt wird. In Aegypten iſt es bey den Armen ganz gewöhnlich, daſs ſie türkiſch Korn, und ihr Dura, eine Art von Hirſe, braten. Weiter reichte anfangs die Kunſt der Menſchen nicht, als daſs ſie ſich grüner oder reifer, getrockneter oder gebratener Aehren zur Stillung ihres Hungers bedienten, und dabey laſſen es noch jetzt diejenigen Völker bewenden, welche die Natur nicht unterſtützen.„ כַּרְמֶל, *ariſta viridis.*

V. 16. *uſque ad poſterum diem ſeptimae hebdomadis numerabitis, nempe quinquaginta dies.* שבת in v. 15. et 16. per Synecdochen eſt *ſeptimana.* Intra hoc temporis ſpatium meſſis peragebatur, qua abſoluta feſtum Pentecoſtes celebrabatur.

V. 20. קֹדֶשׁ - לַכֹּהֵן haec Jovae ſacra ſint, et ſacerdoti in uſum cedant. Sacerdos his veſci poterat.

V. 24. De feſto buccinarum ſ. novi anni. Septimus menſis erat Tiſri, ſi a primo menſe anni eccleſiaſtici: Niſan numeramus. Reſpondet ille noſtro menſi Octobri. In rebus civilibus menſis Tiſri novum annum incipiebat. בְּאֶחָד, *primo die.* אֶחָד, *primus*, Gen. 1, 5. 2, 11. Exod. 12, 18. Latini quoque *unus* pro *primo* dixerunt, ut Cicero de ſenect. Cap. 5. זִכְרוֹן - קֹדֶשׁ, *memoriale clangoris tubae, conventus ſacri*, i. e. dies, quo tuba clangitur, et coetus ſacer indicitur.

V. 27 - 34. agitur de die expiationis. עִנּוּי נַפְשׁוֹ, *affligere ſeipſum*, jejunare. — V. 34 - 43.

agitur de festo tabernaculorum. סכה, *tuguriam* contextum implicatis ramulis et virgultis. Ps. 10, 9. Jer. 25, 38. עצרת היא, *hic dies fit feriatus*, a r. עצר, *prohibuit, cohibuit.* Aliter *Michael.* in vers. bibl. german. et in Suppl. p. 1953: „עצרת de octavo die, festo tabernaculorum addito, h. l. ponitur cum manifesta oppositione ad reliquum festum. Huic diei cum nomen tanquam proprium sit, verisimile mihi videtur, non a solo laboris interdicto id eum accepisse, sed et a calcando, ut sit tanquam calcationis vini ac torcularis festum, cum praecedentes septem dies vindemiae essent, collectionisque fructuum aestivorum. עצר nempe in dialect. arab. est *uvas expressit.*

V. 37. דבר יום ביומו, *rem diei in die suo*, i. e. secundum ritum cujuscumque diei. עץ הדר, *arbor decoris*, i. e. arbor speciosa, decora. LXX. bene καρπους ξυλου ωραιου. Alii intelligunt mala citrea, sed absque ullo linguarum cognatarum testimonio. Cf. *Celsii* Hierob. P. I. p. 251. כפות תמרים, *spathae palmarum.* כף, *spatha, ramus incurvus.* עבת עץ, *frons arborum densarum.* Umbrosae intelliguntur arbores, quarum frondibus tegenda erant tuguria.

§. 79.

III) de votis.

Vota quoque veteres Hebraei nuncuparunt, iisque susceptis Deum coluerunt. Hunc morem autem omnes populi incultiores habuerunt. Duces Graecorum apud Homerum Hecatombas vovent, et imperatores romani, cum summo in belli discrimine versati sunt, et incertus pugnae exitus fuit, delubra voverunt diis exstruenda. Homines nempe deos cogitarunt sui similes. Etenim quem-

ad-

admodum hi bonorum promiſſione impelluntur, ut nobis faveant, nos adjuvent, et opem nobis ferant: ſic etiam Deos oblationibus promiſſis moveri, et ad benefaciendum hominibus adduci arbitrati ſunt. Sic Jacobus, ut felix in patriam rediret, votum ſuſcepit, Gen. 28, 20-22. Moſes hanc religionis ſignificationem, quae per vota fiebat, non abrogavit, ſed lege data fines rei conſtituit. Nam neque virgo ſine permiſſione patris, nec uxor absque mariti conceſſione votum ſuſcipere poterat, Numer. Cap. 30. tot. Solebant autem vel partem fructuum, vel animal, domos, agros, oppida, praedam hoſtilem, quin ſe ipſos aut ſuam familiam Deo conſecrare, Levit. 27. Foediſſima vota erant, quae Deo certe ingrata fuerunt, ex crudeli belli jure apud antiquos orta, cum voverunt, in honorem Dei omnes cives urbis captae et omnia animalia vi trucidare, et oppida comburere, Numer. 21, 1-3. Joſ. 6, 17-24. Deus ſcilicet ex antiqua opinione non minus iratus ac vindictae cupidus erat, ac ipſi fuerunt milites. — Si quis voto ſeſe obſtrinxerat; ut illud impleret, tenebatur, Eccleſ. 5, 1-5. Pſ. 66, 13. 14.

Geneſ. 28, 20-22. Jacobus votum nuncupavit: ſi Deus mihi aderit, et me in hac via, qua proficiſcor, cuſtodibit, mihique cibum, quo veſcar, et veſtem, qua induar, dabit, et, ſi ſalvus in domum patris mei redibo, et Jova mihi erit Deus tutelaris: hic lapis, quem in cippum erexi, domus Dei erit, et omnium rerum, quas mihi dabis, decimas tibi dabo.

Numer. 30. tot. Moſes Iſraelitis dixit, quod Jova ei praecepit. Dixit autem principibus tribuum Iſraelitarum: ita praecipit Jova: Si quis votum Jovae voverit, aut jurejurando ſeſe obſtrin-

ſtrinxerit, non revocet verbum ſuum, ſed quod pronunciavit, ſervet. Et, ſi virgo votum Jovae fecerit, et jurejurando ſe obſtrinxerit in domo patris ſui, cum adhuc eſt puella, et pater, qui votum ejus audierit, quo ſeſe obſtrinxit, tacuerit, rata ſunt omnia ejus vota, et jusjurandum ratum eſt, quo ſe obſtrinxit.

Quodſi autem pater ejus improbarit votum, cum audierit, irritum eſt votum et jusjurandum, quo ſe obſtrinxit, et Deus illi condonabit, quia pater non approbavit.

Si nupſerit, quae voto obſtricta eſt aut temerario promiſſo, maritus autem audivit et tacuit, rata ſunt vota et promiſſa ejus. Sin autem improbavit, et irritum declaravit temerarium promiſſum, quo ſeſe obſtrinxit, Jova ei condonabit.

Vidua aut expulſa, quae votum fecit, voto ſuo tenetur.

Si mulier in domo viri ſui voverit, aut jurejurando ſe obſtrinxerit, et maritus audierit ac tacuerit, et non improbarit, ratum eſt votum et jusjurandum. Sin autem maritus illud irritum declaraverit, quamprimum audierit, irritum eſt ob denegatam mariti approbationem. Deus ei condonabit. Omne votum et jusjurandum de jejunio maritus poteſt ratum et irritum reddere. Si per aliquod tempus non contradixerit, rata fecit ipſo illo ſilentio ſuo omnia ejus vota aut quaecunque promiſerit. Quodſi poſtea ea diſſolverit, illius culpam ſuſtinebit. Haec ſunt inſtituta, quae Jova Moſi praecepit, virum inter et uxorem ejus, inter patrem et filiam puellam in aedibus paternis adhuc degentem.

Levit. 27. Jova ad Moſen ita locutus eſt: Dic Iſraelitis: ſi quis ſe voverit, homines abs te

aeſtimentur, et pretium Jovae eſt ſolvendum. Vicenarius uſque ad ſexagenarium quinquaginta ſiclis ſanctuarii aeſtimetur, mulier triginta ſiclis. Mas quinque annorum uſque ad vicenarium viginti, foemina decem ſiclis aeſtimetur. Ab aetate unius menſis uſque ad annum quintum pro mare eſt pretium quinque, pro foemina tres ſicli. Si mas eſt ſexagenarius et ſupra, quindecim, foemina decem ſiclis aeſtimetur. Si ea eſt paupertate, ut pretium abs te aeſtimatum ſolvere non poſſit, ſiſtat ſe coram ſacerdote, qui voventem pro facultatibus ſuis aeſtimet. —

Quodſi eſt unum ex animalibus, quae Jovae pro victima offerri ſolent, quodcunque ex illis vovet, Jovae ſacrum erit. Non mutet illud, aut aliud ſubſtituat, nec bonum pro malo, nec malum pro bono. Si unum in locum alterius animalis ſubſtituit, utrumque ſacrum erit. Sin vero eſt unum ex animalibus immundis, quae Deo pro victima offerri non ſolent, ſiſtat animal coram ſacerdote, qui illi verum pretium ſtatuat, et quomodo ſacerdos aeſtimabit, ita erit. Si redimere vult, quintam partem addat ſuper ſummam aeſtimatam. —

Si quis domum ſuam Deo conſecrat, ſacerdos verum ei pretium ſtatuat, et prouti aeſtimabit, ita erit. Sin conſecrans eam redimere vult, addat quintam pecuniae partem ſuper pretium aeſtimatum, tum ſibi manebit. —

Quodſi quis agrum ſuum Jovae conſecrat, pro ſemente ejus abs te aeſtimabitur. In quo Chomer hordei ſeritur, is quinquaginta ſiclis argenteis aeſtimetur. Si ab anno jubilaeo agrum ſuum conſecravit, rata manet illa aeſtimatio. Sin autem poſt annum jubilaeum agrum ſuum conſecravit,

definat ſacerdos pecuniae ſummam pro numero annorum reliquorum uſque ad annum jubilaeum, detracta aeſtimatione *praeteritorum*.

Si conſecrans agrum redimere vult, addat quintam aeſtimationis tuae partem; tum ſibi manebit. Sin autem agrum non redimit, et *ſacerdos* vendit agrum alii viro, non amplius redimi poteſt. In anno jubilaeo, cum ager ad dominum redit, ſacer erit ſicut ager devotus, ſacerdotis erit peculium.

Quodſi autem agrum emtum, quem non jure haereditario accepit, Jovae conſecrat, aeſtimet ſacerdos ſummam uſque ad annum jubilaeum, quam utpote Jovae ſacram ſtatim ſolvat. Anno jubilaeo ager ad eum redibit, a quo emit, cujus erat peculium. —

Omnis aeſtimatio tua, o *ſacerdos*, fiat ex ſiclo ſacro, quorum viginti geram faciunt. —

Primogenita, quae, quia primogenita ſunt, jam Deo debentur, ſive de bovillo, ſive de ovillo pecore ſint, non poſſunt ei conſecrari. Si de pecore immundo ſunt, redimat pro aeſtimatione tua, et addat quintam partem. Sin non redimitur, vendatur pro aeſtimatione tua. —

Omne id, quod quis Jovae devovit, ſive ſit homo, ſive beſtia, ſive ager hereditarius, nec vendatur, nec redimatur. Omnis res devota eſt Jovae ſacroſancta. Homo devotus non redimatur, ſed interficiatur. —

Et omnes decimae terrae e ſatis et fructibus arborum Jovae debentur, ei ſacrae ſunt. Si quis vero decimas ſuas redimere vult, quintam partem addat. Omnes decimae boum et ovium, quaecunque ſub pedum mittuntur, Jovae ſacrae ſunt. Non quaerat, bonum an malum ſit, et non per-

mutet. Sin permutat, utrumque ſacrum ſit, non redimatur. —

Haec ſunt praecepta, quae Jova per Moſen Iſraelitis in monte Sinai dedit.

Numer. 21, 1 - 3. Cananaeus rex Aradi plagam meridionalem inhabitans cum audiret, Iſraelitas via Atharim adventare, contra illos pugnavit et captivos ex illis fecit. Iſraelitae autem votum Jovae voverunt, et dixerunt: ſi trades hunc populum in poteſtatem noſtram, urbes eorum devovebo. Quia igitur Jova vocem eorum exaudivit, illisque Cananitas tradidit: devoverunt eos et eorum urbes. Hinc ille locus dictus eſt Horma.

Joſ. 6, 17 - 24. Urbs erit Deo devota, omnesque ejus cives, praeter Rahab meretricem et qui in ejus ſunt domo. Haec enim occultavit legatos, quos miſimus. Cavete autem vobis a rebus devotis, ne devotionis rei fiatis partem rerum devotarum vobis vindicando, atque Iſraelitarum caſtris ſacrilegii crimen contrahatis. Aurum, argentum, vaſa aenea et ferrea erunt Jovae ſacra et in theſaurum Jovae venient. — Populus autem vociferabatur, et tuba cecinerunt. Quamprimum autem populus tubae ſonum audivit, altum clamorem ſuſtulerunt. Murus autem cecidit, populus in urbem irrupit, quilibet ante ſe, cepit urbem, et devovit, quicquid in urbe erat, viros et foeminas, pueros et ſenes, boes et oves et aſinos gladio. Duo autem terrae exploratores Joſua juſſit ut domum meretricis intrarent, indeque illam cum ſuis educerent, uti jurejurando promiſerant. Exploratores, viri vegetae aetatis ita fecerunt, Rahab, patrem, matrem, fratres ejus omnesque ſuos totamque familiam ſuam eduxerunt, et foras in caſtra Iſraelitarum eduxerunt.

Urbem autem cum omnibus, qui intus erant, igni combusserunt, argento, auro ac vasis aeneis ac ferreis exceptis, quae in aerarium sacrum inferebantur.

Eccles. 5, 1 - 5. Ne sis praeceps ore tuo, et cor tuum ne properet ad votum nuncupandum. Nam Deus est in coelis, et tu es in terra. Propterea verba tua sint pauca. Nam multos labores somnus excipit, multa verba vox stulti. Cum votum voveris Deo, noli cunctari, ut illud impleas. Stulti enim Deo non probantur. Quod vovisti, solve. Melius est, ut non voveas, quam ut votum non perficias. Ne permittas, ut os tuum inducat corpus tuum ad peccandum, et ne dicas coram sacerdote: erravi. Cur Deus tibi succenseat, et opus manuum tuarum prospere succedere non sinat?

Ps. 66, 13. 14. Intrabo in domum tuam holocaustis, persolvam tibi vota mea. Quod labiis apertis et ore meo in angustia vovi, holocausta pinguia cum suffitu tibi adducam, mactabo boes et hircos.

Ad §. 79. Gen. 28, 20 - 22. Jacobus in Mesopotamiam fugit, et in itinere per somnium vidit scalam ad coelum usque pertingentem invisibilem, per quam angeli ascendebant et descendebant. Ex hoc collegit, Deum praesidio suo sibi praesentem fore, et ab omnibus malis defensurum esse. Propterea votum facit, si Deus vere se protegat, et omnia mala a se avertat, lapidem, quem in cippum erexerit, ipsi sacrum fore, et decimas omnium rerum suarum se Deo daturum esse. Lapis erectus et oleo unctus Deo consecratus et Baitylion (domus Dei) dictus est. Ad hunc lapidem tanquam

ad aram ſacra facere voluit. Decimarum enim pars comburebatur pro holocauſto, reliqua pars comedebatur.

Numer. 30. tot. Vota confirmantur, hac tamen addita reſtrictione, ut vota mulierum, quae in poteſtate patris ſunt aut mariti, non valeant, niſi a patre aut marito approbentur. נדרים vota, quibus Deo res aliqua vovebatur; uti victima, ager. אסר propr. *obligatio*, a. r. אסר, *ligare*, inde votum, quo quis ſibi aliquid interdicit. אסר על נפש, *ligare appetitum*, ſibi denegare cibum aut vinum. לא יחל דברו, *verbum ſuum non profanabit*, intelliget, ſe non poſſe, quod promiſit, negligere. קום, *ratum eſſe*. הניא אותה, *irritam reddidit eam*, ſc. ventem, pro *votum ejus*. מבטא שפתיה, *pronunciatio labiorum inconſiderata*, temeraria dicta. גרושה, *expulſa*, repudiata. נשא את עון, *delicti poenas ferre*.

Levit. 27. tot. Res deſcribuntur, quae Deo voveri poterant, et leges de redemtione rerum Deo conſecratarum. Votis autem uſui ſacro addici poterant 1) homines, tanquam mancipia ſacra, 2) animalia munda et immunda, 3) domus, 4) agri. Quae cautiones in his votis obſervandae ſint, ſimul monetur.

איש כי יפליא נדר, *ſi quis votum ſeparaverit*; uti e ſeq. patet, ſenſus eſt: ſi quis ſe ipſum voverit, יפליא deſcendit a פלה, *ſeparavit*, ה et א permutato. בערכך נפשות, *animae*, i. e. homines, *ſint in aeſtimatione tua*, abs te aeſtimentur. ליהוה, *pretium eſt Jovae ſolvendum*. Vovebant ſeſe ipſos tanquam mancipia ſacra, quae opera ſervilia ad miniſterium templi fecerunt, ligna et aquas attulerunt, aliaque his ſimilia. Sed pecunia numerata ſeſe redimere poterant. Pretium redemtionis vero

diverſum erat pro diverſa aetate et viribus. Pro redimendo mare, cujus vites majores ſunt, majus quoque pretium ſolvebatur, quam pro ſexa ſequiori; et pro homine adulto et vegetae aetatis majus, quam pro infirmo infante aut decrepito. Opera enim, quam iſti praeſtare poterant, aut nulla aut exigua erat, aut futuro demum tempore ſperanda. — על פי אשר חשיג יד, *pro ratione ejus, quod aſſequitur manus*, i. e. pro facultatibus voventis.

V. 12. בין טוב ובין רע, *inter bonum et inter malum*, i. e. ut pluris aeſtimet bonum quam malum, ut verum pretium ſtatuat.

V. 18. ונגרע משערכך, *et detrahetur de aeſtimatione tua* ſc. praeteritum tempus. Anni, quot jam ante votum effluxerant, de ſumma ſubtrahantur. שדה החרם, *ager devotus* is erat, qui plane redimi non poterat. חרם arab. *prohibitus, illicitus fuit*, inde arab. חראם, hebr. חֵרֶם, *res prohibita, ſacra, Deo devota.* שנת יובל, *annus jubilaeus*, a. r. יבל, arab. *fluxit, profluxit*, quia hic annus indicebatur בשופרות יובלים, *tubis ſonum continuo profluentem edentibus.* — שדה מקנתו, *ager emtionis ejus*, ager emtus, quem non jure haereditario poſſedit, qui dicitur שדה אחזתו. — מִכְסָה rad. כסס, *numeravit, ſupputavit*, eſt *ſumma, portio numerata.* לאשר קנהו מאתו, *ad eum, a quo emit.*

V. 28. כל חרם, *omnis res devota, quam quis devovet* etc. Votum fecerunt, homines et beſtias bello captas interficere. Hujusmodi *votum ad exciſionem* dicebatur חרם, quod Deus nec approbare, nec lege ſancire poterat. Inde intelligitur, leges has moſaicas non in ſenſu proprio eſſe divinas. Cogitari enim non poteſt, Deum ſanctiſſimum et benigniſſimum juſſiſſe, ut bellum interneeivum gereretur, omnesque incolae oppidi alicujus

et beſtiae violentae manu exſtirparentur et deleren-tur. Sed haec fuerunt inſtituta populorum barbarorum et ferorum, qui in bello crudelius contra hoſtes ſaevire et ultima ſupplicia de iis ſumere ſolent, quibus pro tenuibus ſuis de Deo notionibus haud indecens videbatur, impium votum de exſcindendis hominibus facere.

כל אשר - תחת השבט, *omne, quod tranſit ſub virga*, i. e. omnes beſtiae, quae ſub pedum mittuntur, ſub cuſtodia et cura paſtorum ſunt. שבט de *pedo paſtorum* intelligendum eſt.

Numer. 21, 1 - 3. *Cananaeus* in ſenſu latiori ſic dictus, proprie enim Arad ſitum fuit in finibus Amorraeorum, teſte Hieronymo: „*Arad*, civitas Amorrhaeorum, vicina deſerto Kades; et uſque nunc oſtenditur villa ab oppido Malatis, in quarto lapide, a Chebron viceſimo in tribu Judae. הנגב plaga Judaeae meridionalis, Arabiae Petraeae confinis. דרך האתרים, *in via Atharim*. Mihi cum LXX. האתרים eſſe nomen loci alicujus proprium videtur. Alii, uti Onkelos, Syrus et Vulg. per *exploratores* vertunt pro תרים, ut ſenſus ſit, Iſraelitas eadem via eſſe ingreſſos, qua anteà exploratores. Hoc vero eſt durius, nec melius, quod habet *Michael.* in Suppl. p. 145: *venire Iſraelem in via ad haec loca*, אתר Syr. Chald. Samarit. *locus*. שבי, *captivorum turba*. החרם, *internecioni devovere*. עריהם eorum *urbes*, quas nempe tum capere poterant. „Nam Joſua demum Aradi regem cepit, Joſ. 12, 14. aliique reliquas tractus meridiani urbes expugnarunt et deleverunt, vid. Jud. 1, 16. 17. Si enim omnes meridiani tractus urbes occupare potuiſſent Iſraelitae, illic eſſent Cananaeam ingreſſi.„ (*Roſenmüll.*) חרמה, *anathema, totalis everſio*.

Joſ. 6, 17 - 24. Relatum legimus, milites Hebraeos moenia Hierichuntis circumiiſſe, et cla-

morem bellicum ſuſtulisſe, ſacerdotes autem tuba cecinisſe, quo facto murus collapſus ſit. Hanc moenium ruinam non miraculoſam fuisſe, omnes fere hodie conſentiunt. Cur enim Deus tantum in expugnanda hac urbe, non vero etiam aliis expugnatu difficilioribus, omnipotentia ſua interceſſit, et miraculum edidit? Barritum fuisſe ſignum aggreſſionis, milites urbem ſcandisſe, et vi oppugnasſe credunt. Recte hoc putant, ex meo quidem judicio. Sed, ſi quid veri ſentio, autor libri Joſuae hoc non exprimere voluit. Huic nulla alia quam miraculoſa murorum ruina ante oculos verſabatur. Res fama in majus adaucta et additamentis exornata eſt. Sub his involucris veritatem exquirere decet. —

Urbs Hiericho quoque internecioni a Joſua, barbaro et ſaevo, imperatore, devovetur. Omnes ſcilicet homines et beſtiae, acie glacii occiduntur. Praeda autem, quam fecerunt, in aerarium ſacrum illata eſt. קול השופר, claſſicum edebatur. וירע העם, *barritum edebant*. Orientales magno cum clamore pugnam ineunt, v. g. Turcae *Allah*, *Allah* vociferantes. V. 23. הנערים, *adoleſcentes*. Nam exploratores ita vocantur, נער de aetate et puerili et virili uſurpatur.

Eccleſiaſt. 5, 1-5. Duo praecepta inculcantur, unum, ne quis temeraria vota nuncupet, alterum, ne cunctetur perficere, quod voviſſet. אל תבהל על-פיך, *ne feſtines ore tuo*, bene Vulg. ne temere quid loquaris. Verbum בהל in Piel *feſtinavit*. ולבך אל-יבהל להוציא דבר לפני האלהים, *et cor tuum ne properet producere verbum coram Deo*, i. e. ne temeraria voveas vota. Nam *Deus eſt in coelis* etc. Deus eſt omnipraeſens et omnipotens, tu autem es homo infirmus et debilis. Cave itaque tibi a poenis divinis. V. 3. Nugatores et blatterones ſunt inepti

et multa ſtulte et imprudenter loquuntur. V. 5. לחטיא pro לְהַחֲטִיא, *ne permittas, ut os tuum ad peccandum inducat corpus tuum*, promittendo aliquid, quod poſtea implere non potes, v. g. abſtinentiam a cibo, vino, a concubitu ad tempus. סלאך, *ſacerdos*, Malach. 2, 7. שננה, *peccatum imprudentiae.*

Pſ. 66, 13. 14. Cum Iſraelitae maximo in diſcrimine verſarentur, poeta Deum invocavit, et vota vovit. Gratum nunc animum, cum preces exauditae eſſent et hoſtes proſſigati, publice profitetur, et ſimul vota ſua ſe perſoluturum eſſe teſtatur. Quisnam autor ſit, et de quo bello Pſalmus agat, incertum videtur. עם קטרת non ad אילים referendum eſt, ſed neglectis accentibus ad verba praecedentia, אילים autem conjungendum eſt cum אעשה, *arietes mactabo, boes cum hircis.* עשה de mactatione victimarum adhibetur, Exod. 10, 25. Num. 6, 17.

§. 80.

IV) de jurejurando.

Deum omnipraeſentem, omniſcium et omnipotentem eſſe, Hebraei confeſſi ſunt *jurejurando*, quod religionis pars fuit. Jusjurandum dum dabant antiquiſſimo aevo, ſimul ſacra fecerunt, et victimas mactarunt, Gen. 31, 53. 54. Devt. 29, 11 - 13. Joſ. 9, 14. 15. Et quidem ſeptem oves mactarunt, unde verbum נשבע ortum eſt, cujus propria vis eſt: *re ſeptenaria obſtrictus eſt, er iſt beſchwet worden*, Geneſ. 21, 27-31. Inde quoque factum eſt, ut poſtea in templo ad aram jusjurandum ſanctiſſimum darent, 1 Reg. 8, 31. Jurabatur autem per Jovam, Levit. 19, 12. Devt. 6, 13.

per vitam regis, 1 Sam. 17, 55. Pſ. 63, 12. qui mos ab Aegyptiis ad Iſraelitas perveniſſe videtur, Gen. 42, 15; per urbes ſanctas, Pſ. 139, 20. Id autem qui jurarunt, non ipſam jurandi formulam recitarunt, ſed jurisjurandi religione per Deum adigebantur, et ad imprecationes, quibus, ſi pejerarent, devovebantur, interdum Amen reſponderunt, Levit. 5, 1. Proverb. 29, 24. Numer. 5, 16 - 25.

Gen. 31, 53. 54. Dii Abrahami et Nachoris dirimant inter nos, Dii patris eorum. Jacobus autem juravit per Deum, quem pater ſuus Iſaacus coluerat, et epulas ſacras inſtituit in monte, ad quas omnes conſanguineos ſuos invitavit. Et ſic in iſto monte pernoctarunt.

Devt. 29, 11 - 13. Ad foedus cum Jova Deo veſtro adhibito ſacramento ineundum, quod ille vobiscum hodie pangit, quo vos populum ſuum Deumque veſtrum eſſe declarat, quemadmodum vobis promiſit, et majoribus veſtris, Abrahamo, Iſaaco et Jacobo, juravit.

Joſ. 9, 15. Joſua cum illis pacem fecit, et foedere icto vitam iis conceſſit, et principes coetus illis jurarunt.

Geneſ. 21, 27 - 31. Abraham ſumſit oves et boes, et dedit Abimelecho, et uterque foedus pepigit. Abrahamus autem ſeptem oves ſeorſum collocavit, et cum Abimelechus ex eo quaereret, quid ſibi hae ſeptem oves vellent, quas ſeparatim collocaſſet, reſpondit: has ſeptem oves a me accipere debes, ut mihi ſint teſtimonio, me hunc puteum fodiſſe. Propterea hunc locum vocavit Berſebam, quia ibi uterque juravit.

1 Reg. 8, 31. 32. Si quis in alterum deliquerit, et hic jusjurandum ei detulerit, coram

altari tuo hac in aede praeſtandum: tu audi in coelo, et judica inter eos, ita ut reum condemnes et pro merito ei rependas, innocentem vero abſolvas, eique pro juſta ſua cauſſa retribuas.

Levit. 19, 12. Nolite falſo jurare per nomen meum, et nomen Dei tui profanare, ego ſum Jova.

Devt. 6, 13. Jovam Deum tuum timeas, eum colas, et per nomen ejus jures.

1 Sam. 17, 55. Cum Saulus Davidem videret Philiſtaeo in occurſum euntem, Abnerum, exercitus praefectum, interrogavit, cujusnam filius eſſet hic juvenis. Abner reſpondit: per vitam tuam juro, o rex, me id neſcire.

Pſ. 63, 12. Rex laetabitur in Deo, quilibet per eum jurans gloriabitur, nam os mendacium obſtruetur.

Geneſ. 42, 15. 16. Per vitam Pharaonis juro, (ſic enim probabimini,) vos hinc non dimiſſum iri, niſi frater veſter natu minimus huc venerit. Mittite unum e vobis, qui fratrem veſtrum arceſſat; vos vero vincti remanebitis, donec dictorum veſtrorum fides conſtet et explorata ſit. Sin minus, vos, ita Pharao vivat, exploratores eſtis.

Pſ. 139, 20. Vid. §. 15.

Levit. 5, 1. Si quis peccarit, et audierit jurisjurandi formulam, quia teſtis eſt rei, quam vidit, aut novit, neque eam indicarit, is hac ratione culpam contrahet.

Proverb. 29, 24. Qui dividit cum fure, odit vitam ſuam. Audit jurisjurandi formulam, nec tamen furem confitetur.

Numer. 5, 16-25. Sacerdos afferat eam oblationem, et conſtituat mulierem coram Jova.

Et sumat aquas sanctas in vase testaceo, et sumat de pulvere in solo habitaculi, illumque aquis immiscеat. Tum sacerdos mulierem statuat ante Jovam, et denudet ejus caput, et det in ejus manus fertum redargutionis et zelotypiae. Ipse autem sacerdos manu sua teneat aquas amaras imprecationum. Deinde adjuret mulierem hoc modo: si non alius vir tecum concubuerit, et non impure a marito tuo declinaveris, illaesa eris ab his aquis amaris imprecationum.

Sin autem declinaveris a marito tuo, et polluta sis, et alius vir praeter maritum tuum tecum coierit, adjuret sacerdos mulierem diris imprecationum, et dicat: Jova in te statuat exemplum dirarum et perjurii inter populares tuos, femur tuum decidat, et venter tuus intumescat. Aquae dirae veniant in viscera tua ad ventrem tuum inflandum, et femur decutiendum. Mulier dicat: Amen, Amen.

Dein sacerdos has diras schedae inscribat, et in aquis istis amaris deluat, easque mulieri porrigat potandas, ut una cum diris eam ingrediantur ad amaros dolores excitandos.

Ad §. 80. Genes. 31, 53. 54. Laban et Jacobus foedus pangunt, ad quod confirmandum pro more Deum invocant testem et vindicem, et jurant. Laban dixit: אלהי אבירם, *Dii Abrahami et Nachoris* dirimant etc. Abrahamus et Nachor fratres erant, a Terach originem trahentes. Terachum cum filiis suis plures Deos coluisse, testatur Jos. 24, 2. Isti dii innuuntur per phrasin אלהי אבותם נחור, et per epexegesin additur אלהי אבירם, *Dii patris eorum*, Terachi. Duae hae voces autem spuriae esse videntur, et glossam sapiunt, qua quis

phrasin אלוהי ־ נחור illustrare voluit. Interpretes antiquiores et codd. manu exarati variant. LXX bene haec verba omittunt. Codex Samarit. pro אבותם male legit אבותם. Syrus in plurali legit, et cum affixo primae personae: *Deus patrum nostrorum.* — פחד אביו, *timor patris ejus*, Deus, quem pater ejus timuit.

Deut. 29, 11 - 13. Israelitae congregati erant, ut solenniter leges sibi datas acciperent, et se illis obsequium praestare velle jurejurando promitterent. Hoc esse concionis consilium, monet autor v. 11. לעברך בבריח ־ ובאלתו, *ut transeas in foedere — et jurejurando ejus*, i. e. ut foedus adhibito sacramento cum Jova pangas. Verbo *ut transeas* alluditur ad veterem illum foedera percutiendi morem, ex quo contrahentes per dissectas victimarum partes transibant, Genes. 15, 17. 18. אלת, *imprecatio juramento addita*, *jusjurandum*, r. arab. אלה, *adstrinxit*, *constrinxit*.

Jos. 9, 15. Gibeonitae fraude usi et dolo amicitiam Josuae sibi acquisiverunt. Ut hanc sancirent, principes Israelitarum foedus pepigisse, i. e. inter sacrificia oblata jurasse dicuntur.

Genes. 21, 27 - 31. Abraham et Abimelech, rex Gerarensis, foedus feriunt, h. e. victimas mactant, illasque interposito juramento Deo offerunt. Quot autem eo consilio separant agnas? *septem*. Hinc locus ille dictus est באר שבע, *puteus septem* sc. agnarum, quia septem ovibus mactatis uterque juravit.

1 Reg. 8, 31. 32. Hic locus sumtus est ex precibus, quas rex Salomo in dedicatione templi effudit. Ex eo intelligimus, jusjurandum apud altare, quia ibi sacra fiebant, solenniter datum esse. אשר ־ איש, *id*, *quod quis peccet*; referenda sunt haec verba ad initium v. 32. חשמע, *audies*.

Nos vertimus: si quis in alterum deliquerit. ובשא בו אלה, *et hic profert contra illum jusjurandum*; להאלתו, *ut eum adjuret*, i. e. si jusjurandum ab eo exigitur. ובא אלה הזה, *et venit hoc jusjurandum coram altari tuo in domo tua*, i. e. quod praestatur in templo ad altare. לתת דרכו בראשו, *viam dare in caput*, rependere. Deus tanquam summus judex, si jusjurandum est interpositum, judicare debet, cujus causa sit justa.

Ps. 63, 12. Davides oberrat in locis aridis et desertis, et ex animo precatur, ut sibi reditus ad locum sanctuarii concedatur. Sine dubio hocce carmen a rege Davide compositum est, cum propter rebellionem filii Absalomi salutem fuga quaerere coactus fuit. Ad finem carminis fatetur spem certissimam, fore, ut inimici sui exscindantur, ipse autem salvus et incolumis evadat: *rex de Deo tum laetabitur, et quilibet per eum, regem, jurans, gloriabitur.* Per vitam regis jurare solebant. Rebelles hoc facere recusarunt, vitae enim regis insidias struxerunt. Qui porro per vitam ejus jurarunt, fidi fuerunt subditi.

Gen. 42, 15. 16. בזאת, *in hoc*, ita. חי פרעה, *vivit Pharao*, i. e. per vitam Pharaonis juro. LXX νη την ὑγιειαν Φαραω. Notat Abenesra ex scriptoribus aegyptiis, gravissimum hoc apud Aegyptios fuisse juramentum, quod violatum capitis poenam secum traxerit; *Rosenmüller* ad h. l. Josephus loquitur, fratres suos tentans, et explorans, num fortasse Benjamini, fratri natu minimo, quoque, uti sibi, manus violentas intulissent.

Levit. 5, 1. Testis juratus, qui nihilominus veritatem non aperte et sincere eloquitur, culpae reus est, et hunc reatum sacrificio expiare debet. ונפש כי תחטא, *et anima cum deliquerit, et audierit* etc., i. e. si quis deliquerit audiendo jurisjurandi

randi formulam. Si adjuratur, ut ingenue rem dicat, quam viderit aut audierit, hac autem adjuratione non obſtante veritatem rei non indicat, נושא עונו, *is culpam ſuam feret*, contrahet. Perſpicue h. l. docetur, jurantem formulam jurandi non pronunciaſſe, ſed praelectam audiviſſe.

Proverb. 29, 24. *Cleric.*: Alludit Salomo ad morem, de quo Levit. 5, 1. ex quo judices, audito furto aut homicidio, in autores ſceleris inquirebant adjurabantque eos, quos ſuſpicabantur conſcios rei eſſe, ut faterentur ea exſecratione adſtricti, quidquid norant, ut magiſtratus poenas de reis ſumerent. LXX recte rem expoſuerunt: *ἐὰν δε ἀρχου πραταδεντος ακουσαντες μη ἀνεγγειλωσι.*

Numer. 5, 16 - 28. Mulieri adulterii reae juramentum purgatorium a marito deferebatur, in quo formula jurandi a ſacerdote recitabatur, nec non imprecationes enunciabantur, ad quas mulier rea Amen reſpondebat, i. e. eas ratas eſſe jubebat.

Quod autem ritum illum ſymbolicum attinet, quo purgatio fiebat, magna inter illum et *experimentum ab igni et aqua fervente*, *Feuer- und Waſſerprobe*, intercedit ſimilitudo. Quemadmodum nimirum ante aliquot ſecula innocentia mulierum, in quas adulterii ſuſpicio cecidit, igne vel aqua probata eſt: ſic etiam ex inſtituto Moſis (idem mos hodie apud nonnullas barbaras nationes obtinet,) virtus aquis diris ſpectata, et innocentiae ſpecimen datum eſt. Minime credibile eſt, Deum ſupernaturaliter interveniſſe, et adulteram morbo diriſſimo, hydrope ovarii ſtatim erumpente, criminis redarguiſſe. Sed potius putandum, moechas male ſibi conſcias hoc experimentum non admiſiſſe, vel ſi admiſerint, et non aliunde convictae fuerint, innocentes eſſe declaratas. —

Ceremonia autem haec erat: Sacerdos aquas ſacras e lavacro ſacerdotali ſumſit, iisque pulverem pavimenti immiſcuit. Velamen capitis mulieri ante ſe ſtanti demſit, et manibus illius fertum redargutionis impoſuit, ipſe autem aquas perniciosas manu tenuit, et adjuravit mulierem. Poſtea ſchedae imprecationes inſcripſit, et aqua delevit, hasque aquas foeminae potandas porrexit. Totus hic ritus ſymbolicus ita comparatus erat, ut terrorem menti injiceret, et confeſſionem criminis ante potum aquae dirae extorqueret. —

והקריב אותה, *et afferat eam*, ſc. מנחה, *oblationem*. De hac enim et non de perſonis הקריב adhibetur. Suffixum autem in verbo העמידה recte ad mulierem refertur. לפני יהוה, *coram Jova*, i. e. in loco ſanctuarii. מים קדשים, *aquae ſanctae*, e labro aeneo. פרע, 1) *diſſolvit*, 2) *nudavit*. Foeminae orientales geſtant velamina capitis. Hoc velamen detractum eſt, ut faciem vel verecundam vel impudentem et os durum cernere potuerint. מנחת הזכרון, *fertum*, quo crimen in memoriam revocatur. מי המרים, *aquae amarae*. Diſputatur, cur aqua ita dicta ſit? Amaritudinem a pulvere commiſto contraxiſſe non poteſt. Phraſis optime explicatur e v. 24. ubi מים המאררים למרים, *aquae dirae ad amaritudines* ſc. excitandas, i. e. acerbos dolores excitandos, occurrunt. *Aquae amaritudinum* igitur eae erunt, quae cruciatus et tormina excitant. מאררים, *maledictionem inferentes*.

Hujusmodi ritum apud alias gentes quoque uſitatum fuiſſe, vid. *Philoſtratum* in vita Apollonii Tyanaei L. I. c. 4. Achill. Tat. L. VIII. *Müllers* Beſchreibung der Landſchaft Fetu p. 84. 119. et 178. *De la Porte* Reiſen Th. I. p. 155. *Dappers* Beſchreibung des Landes der Schwarzen, p. 416.

V. 19. תחת אישך, pro מִתַּחַת, *a marito tuo*, הנקי, *innocens fis*, illaesa et immunis eris. – ויתן שכבתך, *si semen in te immiserit*. שְׁכָבָה, *effusio*, spec. effusio seminis. Plena phrasis est זרע שכבת, Levit. 15, 16 - 18. שבעת אלה, *jusjurandum*, *cui imprecationes annexae sunt*. יתן – לאלה, *mache dich zum Fluch*, in caput tuum recidant dirae. ולשבעה, *malа*, *quae jurisjurandi formula expressit*, *te obruant*. צבה – בתח, Indicatur, ut *Michael.* observavit, is foeminarum morbus, qui *hydrops ovarii* hodie nominari solet, sed rarissime invenitur.

PARS TERTIA
CHRISTOLOGIAM COMPLECTENS.

§. 81.

Quam notionem de Messia universe habuerint.

Per *Messiam* universe veteres Hebraei *liberatorem et vindicem Israelitarum* cogitarunt. Haec idea autem successu temporis a variis ingeniis variis imaginibus exculta et exornata est. Quodsi quaerimus, unde idea haec origines habuerit, inde a mosaicis promissionibus repetenda est.

Moses Israelitis, si legem a se latam violarent, et Jova derelicto alienos Deos colerent, calamitatem publicam et privatam, abductionem in exilium, oppressionem ab hostibus factam, sterilitatem, annonae caritatem, morbos letiferos etc. comminatus est, addita tamen promissione, Deum, si ad

ſe reverterentur et mores emendarent, cum illis in gratiam rediturum, et mala averſurum eſſe. Veritatem hujus promiſſionis ſaepius experti ſunt. Etenim oppreſſis a vicinis populis et libertate ſua privatis *ſervatorem*, מושיע, Jova miſit, qui eos in libertatem vindicaret, Jud. 3, 9.

Quoties itaque deinceps in anguſtias redacti fuerunt, e quibus ſuis ipſorum viribus emergere non poterant; toties ſpem foverunt certiſſimam, fore, ut Deus miſericordia commotus et priſtinae promiſſionis non immemor מושיע ſibi mittat. — Eo tempore, quo reſpublica iſraelitica in duas infauſto omine diſciſſa erat; quo ab Aſſyriis, et poſtea a Chaldaeis infeſtata eſt; quo omnes res externae indicabant, rempublicam Davide et Salomone regnantibus tam florentem, tam latis finibus extenſam et opibus affluentem jam ad interitum vergere; quid mirum, ſi idea de מושיע, ſervatore et vindice populi judaici in mentibus ſuis ſubnata eſt?

Hunc, quem a Deo ſibi ſolatio miſſum firmiter ſperarunt, deſcribunt tanquam regem e ſtirpe Davidica oriundum, potentiſſimum, ſapientiſſimum, pium, qui Judaeos et Iſraelitas reconciliet, et uni rurſus ſubjiciat, veterem regni davidici autoritatem et dignitatem reſtituat, captivos Judaeos in patriam reducat, hoſtes devincat, pietatis ſenſu populares ſuos imbuat, et ut cultum divinum a Moſe praeſcriptum rite obſervent, aſſuefaciat, ac denique efficiat, ut omnes ſumma felicitate et tranquillitate in terra ſua a majoribus accepta fruantur. —

Haec eſt imago, quam prophetae et ante exilium babylonicum et poſt illud florentes nunc paucis verbis, nunc pluribus delineant, uno for-

taſſe excepto Daniele, in cujus vaticiniis Meſſias jam tanquam perſona illuſtrior et homine major comparet. —

Sed hanc ſententiam univerſe propoſitam jam dicta e prophetis alleganda et illuſtranda comprobabunt.

§. 82.

A) Deſcriptiones Meſſiae in ſcriptis prophetarum, qui ante exilium babylonicum floruerunt.

1) In vaticiniis Hoſeae, Amoſi et Michae.

Hoſeas, Amoſus, Michas, et Jeſaias, de quo in ſequenti paragrapho dicemus, fuerunt coaevi. Tum Aſſyrii regnum iſraeliticum, quod hoſtili impetu aggreſſi ſunt, tandem everterunt, judaicum debilitarunt.

Hoſeas praefagit exilium regni iſraelitici, praedicit, Iſraelitas in exilium aſſyriacum abducendos, et alios in Aegyptum diſpergendos eſſe. At praevidet quoque eorum reditum in patriam, ſub uno principe, Davidis progenie, collectos et in unam rempublicam cum Judaeis redactos magna frui felicitate.

Amoſus vaticinatur, Iſraelitas ex exilio redituros, et rurſus ſuas domos in perpetuum inhabitaturos eſſe; familiae regnanti davidicae dignitatem reſtituendum iri, et tum magnam fore terrae fertilitatem.

Clarius Meſſiam praenunciat *Michaeus*. E Bethlehemo, unde David origines traxit, rex Iſraelitarum ſurgit, i. e. e ſtirpe antiquiſſima davidica prognatus. Hic divinis auſpiciis imperii habenas tenebit, Judaeos diſperſos colliget, vindictam de gentibus barbaris ſumet, et omnes

hoſtes delebit. Impietas et idololatria removebitur, Jova autem in templo hieroſolymitano non ſolum ab Judaeis, ſed etiam ab exteris gentibus adorabitur. Bella deſinent, pax alta et ſecuritas, nec non magna omnium rerum copia aderit. Et ſedes hujus regni auſpicatiſſimi perpetua erit Hieroſolyma.

Hoſ. 2, 1. 2. Iſraelitae autem innumerabiles erunt, ſicut arena maris, et eo loco, quo iis dictum eſt: vos non eſtis populus meus, filii dei viventis vocabuntur. Judaei ac Iſraelitae ſimul colligentur, et unum principem ſibi conſtituent, et aſcendent e terra, nam dies Jeſreelis erit magnus.

Hoſ. 3, 4. 5. Iſraelitae diu ſedebunt absque rege et principe, absque ſacrificio et ſtatua, absque amictu ſacerdotali et idolis. Dein futuro tempore revertentur, et quaerent Jovam Deum ſuum, et Davidem regem ſuum, et trepide feſtinabunt ad Jovam et felicitatem, quam concedet.

Hoſ. 11, 10. Jovam ſequentur, qui ceu leo altum ſuſtollet clamorem, quo audito accelerabunt filii ab Occidente; accelerabunt uti aves ex Aegypto, et ſicuti columba e terra Aſſyriae, eosque in domibus ſuis collocabo, inquit Jova.

Hoſ. 14, 5 - 8. Sanabo defectionem eorum, ſponte eos amabo, nam ira mea ab illis erit averſa. Iſraelitis ero ſicuti ros, uti roſa; radices agent, ſicut Libanus. Diffundent ſe propagines eorum, decus eorum erit uti oliva, odorem ſpargent uti Libanus. Rurſus ſedebunt in umbra ejus, uberabunt frumento, florebunt uti vitis, nobilitabuntur uti vinum Libani.

Amos 9, 9 - 14. Illo tempore erigam tugurium Davidis collapſum, et ruptura ejus ob-

ſepiam, et diruta reſtaurabo, uti olim. Idumaeos ſuperſtites ſibi ſubjicient, et omnes gentes nomen meum profitentes, inquit Jova, qui haec exſequitur.

Ecce dies veniunt, inquit Jova, quibus arator meſſorem, et calcator uvarum ſerentem aſſequetur. Montes ſtillabunt muſto, et omnes colles liquefient. Populum meum captivum, Iſraelitas, reducam, domos dirutas inhabitabunt, ſedebunt, plantabunt vineas, et bibent vinum ſuum. Hortos conſerent, eorumque fructibus veſcentur. Plantabo eos in terra ſua, nec evellentur rurſus ex illa terra ſua, quam ego illis dedi, inquit Jova Deus tuus.

Mich. Cap. 4. et 5. Futuro tempore mons Jovae ſtabilietur in cacumine montium et collibus altior erit, et populi ad illum confluent. Multae gentes abibunt, et dicent; agite, aſcendamus ad montem Jovae, et ad domum Dei Jacobitarum, ut doceat nos leges ſuas, quas ſervabimus. E Sione enim lex exit, et oracula Jovae ex Hieroſolyma. Judicabit inter potentes populos, et arbitrum aget inter validas gentes longinquas. Ex gladiis ſuis cudent aratra, et ex haſtis falces. Una gens contra alteram enſem non tollet, nec amplius bellum diſcent. Quilibet ſub vinea et ficu ſua ſedebit, nemine terrente, os enim Jovae omnipotentis haec promittit. Etſi omnes gentes Deos ſuos colerent, nos quoque Jovam Deum noſtrum perpetuo colemus.

Tum inquit Jova, ego colligam claudicantes, et congregabo diſperſos et afflictos. Efficiam, ut claudicantes ſint ſuperſtites, et ex longe remotis gens valida evadat. Jova autem illis in monte Sione in perpetuum dominabitur.

Tu turris gregis, clive filiae Sionis, ad te dominium priſtinum redibit, regnum hieroſolymitanum. — Cur vociferaris? an in te non eſt rex? num periit conſiliarius? Dolores enim parturientis te corripuerunt. Enitere filia Sionis, parturientis inſtar, nam tu urbe exibis, et in agro habitabis, Babelem venies. Ibi autem liberaberis, Jova te redimet e poteſtate hoſtium tuorum.

Jam congregabuntur multae gentes contra te, dicentes: Sion profanatur, Sionem deſtructam cum voluptate oculus noſter videt. Illae autem decreta Jovae ignorant, et conſilium ejus non intelligunt, nam congregat illas uti manipulum in aream.

Surge et tritura filia Sionis, cornu tuum enim reddam ferreum, et ungulas tuas aeneas. Comminues multos populos, et Jovae devovebis praedam, et opes eorum Domino totius terrae. Ita tu quoque exſcinderis, quae turmas praedonum habes, nos obſediſti, virga maxillam judicis Iſraelitarum percuſſiſti.

Cap. 5. Tu Bethlehem Ephrata, quae minor es, quam ut chiliadibus Judaeae annumereris, ex te prodibit dominator Iſraelitarum, e ſtirpe nobiliſſima et antiquiſſima ortus. (Certe tradet eos, uſque dum parturiens parturiat, tum reliqui fratrum ejus una cum Iſraelitis revertentur.) Stabit et regnabit virtute Jovae, autoritate Dei ſui, et ſecure habitabunt, nam ad fines terrae uſque celebris erit. Pacem largietur. Si Aſſyrii terram noſtram invadent, et palatia noſtra calcabunt, conſtituemus contra illos ſeptem paſtores, et octo praefectos hominum. Et depaſcent terram Aſſyriam gladio, et terram Nimrodi diſtrictis enſibus, et liberabit ab Aſſyriis, ſi terram noſtram ingredientur, et finibus noſtris pedem inferent. Reliqui

Jacobitae inter multos populos erunt ſicuti ros a Jova, ſicut imbres ſuper herba, quae homines non exſpectat, nec homines praeſtolatur. Reliqui Jacobitae erunt inter gentes, inter multos populos ſicut leo inter beſtias ſilvae, ut leunculus inter gregem ovium, qui tranſit, conculcat, dilacerat, et nemo eripit.

Manus tua extolletur contra inimicos tuos, et omnes hoſtes tui exſcindentur. Tum ego ex te equos tuos exſtirpabo, et currus tuos perdam. Oppida terrae tuae evertam, et urbes tuas munitas deſtruam. Praeſtigias ex te auferam, nec auſpices in te amplius erunt. Exſcindam ſculpta ſimulacra tua et ſtatuas tuas ex te, et non amplius opus manuum tuarum adorabis. Lucos tuos deſtruam, et urbes tuas evertam. Et valde iratus vindictam de gentibus ſumam, quae obedire renuent.

Ad §. 82. Propheta Hoſeas actione ſymbolica docuit, Iſraelitas Deum rejecturum et non amplius pro populo ſuo agnituram eſſe. His comminationibus adjungit pro more laetioris ſortis promiſſionem. Iſraelitae ex exilio redibunt in patriam, in unam rurſus rempublicam coalescent, et unum principem ſibi conſtituent. Equidem claris verbis non exponitur, quis ſit hic princeps, et quo genere ortus ſit. At Cap. 3, 5., ubi eadem ſententia repetitur, dubitationi locum non reliquit, regem e ſtirpe davidica natum innui, i. e. Meſſiam. תחתיו, *eo loco, quo* etc. in terra Iſraelitarum. יום יזרעאל, *dies Jeſreelis*, i. e. haec erit epocha Iſraelitis gratiſſima et memoratu digniſſima. *Jeſreel* poſitum eſt pro Iſrael, tum quia in praecedenti oratione urbis et vallis Jeſreelis meminerat, tum

quia ad etymologiam verbi alludit: *Deus seminabit*, i. e. sobolem augebit et innumerabilem reddet.

Hos. 3, 4. 5. Argumentum hujus vaticinii est, Israelitarum rempublicam eversum et eo miseriarum redactum iri, ut non solum rege, sed et sacris suis careant. Sed postea e captivitate liberati redibunt in patriam, Jovam pie colent, et Davidi, i. e. regi a Davide oriundo, quem antea rejecerant, se subjicient. Prosperam tunc vitam agent.

Ex hoc et praecedenti loco intelligitur, Hoseam speravisse, fore, ut exilio finito 1) Israelitae in terram suam revertantur, 2) rex surgat magnus, qui a Davide genus ducat, summam rerum administret, et Judaeis ac Israelitis in unum populum junctis imperet, 3) cujus sub imperio Israelitae pie et feliciter agent.

Hic rex nullus alius est, quam ille, quem postea *Messiam* appellarunt. Hoseam autem illum statim post exilii tempora exspectasse, inde manifestum est. — Haec spes non impleta est. —

V. 4. Israelitae diu neque magistratum neque sacra habebunt, quod in exilio assyriaco factum est, quo abducti sunt. Quia vero Israelitae praeter cultum leviticum etiam alias ceremonias sacras et idololatricas habuerunt: vates vocabula adhibet, quibus uterque cultus denotatur. זבח et אפוד refertur ad cultum leviticum. *Ephod* fuit amiculum sacerdotale. מצבה autem et תרפים respicit ad μασχολατρειαν et idololatriam. מצבה fuit *statua*, velut Baalis, 2 Reg. 3, 2. 10, 27. itemque vitulorum Danis et Bethelis, ad quas idololatrae sacrificare solebant. תרפים fuerunt *simulacra* sic dicta, quod ea de rebus dubiis et occultis percontarentur et consulerent, a r. Syr. תרף, *percontatus est*. V. 5. ישובו, *revertentur*, sc. in patrium solum, ארץ

trepide accurrere ad aliquem. Praegnanter dictum eſt. Sic etiam Latini *trepidare* ponunt pro *feſtinare.* אחריה הימים, *poſterior pars temporis, futurum tempus.* Haec phraſis non cum Rabbinis interpretanda eſt *finis dierum*, ſed dies ſero poſt multum temporis venturi, ſeri dies. Cf. *Michael*, Suppl. p. 62.

Hoſ. 11, 10. Alii Iſraelitarum in Aſſyriam abducti ſunt, alii in Aegyptum fugerunt, ibique commorati ſunt. Horum reditum Hoſeas promittit in hoc loco. Equidem Meſſiae nullam mentionem facit, ſed quia antecedens locus nos docuit, Hoſeam apparitionem Meſſiae cum fine exilii aſſyriaci conjunctam ſibi cogitaſſe: omnino hujusmodi loca, in quibus melior ſors poſt finitum exilium promittitur, non negligenda ſunt. הלך אחרי, *ſequi aliquem.* ישאג, *rugiet* ſc. Jova, *ſicut leo.* Acclamabit alta voce Iſraelitis, ut terram exilii relinquant, et patrium ſolum petant. חרד, *trepide accurrere.* בנים, *filii*, ſc. Dei, Iſraelitae. מים, *a mari* mediterraneo. Fruſtra quaeritur, num Iſraelitae ultra mare mediterraneum diſperſi fuerint? Poetice *mare*, i. e. plaga coeli occidentalis pro regionibus quibusvis remotis poſitum eſt. *Ut avis et columba*, i. e. celerrime.

Hoſ. 14, 5 - 8. Jova Iſraelitis feriam poenitentiam agentibus iterum propitius erit, quo facto magna erit eorum felicitas. Late diffundentur, quieti agent, omnium rerum copia affluent. Hoc fuit ſeculum aureum, quod tempore Meſſiae exſpectarunt. Itaque etiamſi Meſſias non nominetur, tamen hujus generis oracula inter ea referenda ſunt, quae ſeculum Meſſianum adumbrant.

Deus reſpondet ad preces populi emendationem promittentis, ſe *ſanare velle defectionem illius*, i. e. damnum e defectione ortum. נדבה (ב)

ſhomer. Ros reficit aridam humum, ita Deus reficiet Iſraelitas languidos et afflictos. נכה שרש, *radices agere*, quod nos germanice dicimus, *Wurzel ſchlagen*. *Sicut Libanus* mons eſt firmus et immobilis, indeque quaſi altiſſimis fundamentis ſuperſtructus eſſe videtur. Senſ. non amplius e ſedibus ſuis expellentur, ſed firma et certa erunt eorum domicilia. *Propagines diffundent ſe*, Iſraelitae numeroſiores fient. *Decus olivae* eſt, quod ſemper eſt viridis, Pſ. 52, 10. Senſ. Iſraelitae florebunt. *Odor* etc. herbae ſuaveolentes et arbores Libani, inprimis cedri, ſuavem odorem exhalant, Cantic. 4, 11. ישבו ישבי, *revertentur ſedentes*, ex noto Hebraiſmo, rurſus ſedebunt. *In umbra ejus*, ſc. Libani. Senſ. Palaeſtinam incolent, qua extorres fuerunt. זכרו, *memoria*, laus ejus etc. Vinum Libani eſt generoſum, quod peregrinatores admodum laudant. Senſ. Tam nobilitabuntur Iſraelitae, quam vinum Libani celebratur. — A quibusdam exponitur *odor ejus*, ex arab. זבר, *odor acer*, *fragrantia*. Sed de hoc jam in v. 7. ſermo fuerat. — יחיו דגן, *uberabunt*, דגן (ב.), *frumento*, ſec. *Kimchyerum* e rad. arab. חיה, *uberem foecundamque reperit terram*.

Am. 9, 9 - 14. Deſcriptio aurei ſeculi fini concionis ſubjuncta. Meſſias non producitur, at promittitur, dignitatem familiae Davidis regiae reſtitutum iri. Rex e proſapia Davidis ſolio regio inſidebit, et magna autoritate pollebit. Num vero unus ſit, an plures ſibi ſuccedentes, qui tam auſpicato regnent, non adeſt limpidum indicium. Caeterum Judaei erunt victores, nationes ſibi inimiciſſimas ſubigent, et ſub ſuam poteſtatem redigent. Largi erunt terrae proventus, magna ſecuritas.

Amoſus paſtor amat imagines e vita nomadica petitas. Hinc loquitur de tugurio Davidis collapſo, quod Deus rurſus erigere velit, quibus verbis reſtitutionem potentiae et dignitatis regum judaicorum, qui a Davide origines traxerunt, innuit.

V. 12. Idumaei ſemper animum hoſtilem contra Judaeos geſſerunt, inde maximum odium inter utramque gentem, judaicam et idumaeam, extitit. Quapropter propheta, cum Judaeos victores fore praevidet, eos ante omnia Idumaeos devicturos et ſibi ſubjecturos eſſe declarat. *Super quibus nomen meum vocatur*, pro *qui nomen meum vocant*, i. e. cultores mei, Jeſ. 45, 5. Joel 3, 5.

V. 13. Senſ. Omnes labores, quibus frugum copia acquiritur, ſuo ordine et tempore ſibi invicem ſuccedent. Primo arabunt, arva ſata Deus ita foecundabit, ut mox meſſis larga ſubſequatur. Et quando ſub autumnum uvae maturae vix domum relatae calcantur, tellus nova ſemina accipiet, e quibus novae proferantur fruges. — V. 15. שוב, tranſitive, *revérti facere*. — V. 16. Imago iterum ſumta eſt ab agrorum et hortorum cultura. Plantabuntur, uti germina, in ſolo, nec revellentur, i. e. ſtatus eorum fortunatus erit perennis. Vid. ſimilem deſcriptionem aureae aetatis, Joel 4, 18. etc.

Mich. Cap. 4. 5. Prophetia de regno, ortu et rebus geſtis Meſſiae.

1) Multae gentes exterae religionem judaicam amplectentur, v. 1. 2. Haec ſententia ita exprimitur: Mons templi Jovae, Moria, aliis montibus impoſitus, ſublimi vertice coelum tanget, et e longinquo conſpicietur. Ad eum nunc gentes properabunt, ibique Jovam adorabunt. Agnoſcent, Jovam in templo hieroſolymitano adeſſe,

ibique oracula edere, et voluntatem ſuam manifeſtare. —

Moria erat mons non admodum arduus. Ut itaque longe lateque conſpicuus ſit, aliorum montium faſtigio imponetur. Quem qui videbunt, ad eum ſemitam dirigent. Senſ. Templum alterum recens exſtruendum longe illuſtrius erit quam prius illud a Babyloniis deſtructum, de quo in Cap. 3. ſermo fuit. נהר, *fluxit*, *conſluxit*.

2) Bella definent, pax aeterna erit in terris, de ſumma tranquillitate incolae terrae gaudebunt, v. 3. 4. Deus litem componet inter gentes etc. אתּ, *vomer*, *aratrum*. — *Ire in nomine Dei*, Dei cultum proſequi, Deum pie colere. Senſ. Etiamſi autem nulla eſſet gens, quae Jovam adoraret, quia vanis ſuis et fictitiis Diis dediti eſſent, tamen nos Judaei in colendo Jova, Deo noſtro, ſtrenui et indefeſſi eſſe volumus.

3) Diſperſi Judaei colligentur, theocratia denuo vigebit, v. 6. Metaphora petita eſt ab ovibus claudicantibus aut palantibus, quas paſtor fidus ſolicite colligit. Deus Judaeos non ſolum colliget, ſed etiam ſobolem eorum augebit, et ipſe, uti olim, illis imperabit et leges ſuas dabit. מרחוק, *elongata*, *procul remota*, a. r. הלא, *receſſit*.

4) Familia Davidica iterum ſummum imperium obtinebit, principes davidici civitati praeerunt, v. 8. *Turris gregis* quid fuerit, Hieronymus his verbis indicat: „Bethlehem civitas Davidis, et mille circiter paſſibus procul *turris gregis*.“ Nomades ſpeculas exſtruxerunt, in quas ferarum metu ſe receperunt. *Turris gregis* Bethlemo vicina poſita eſt pro oppido exiguo Bethlehem בת צין in regno Sionitico. Senſ. Ad te Bethlehem, oppidum ignobile, priſtinum regnum redibit. Eadem

ſententia clarius in Cap. 5, 1. repetitur, ſimulque princeps deſcribitur, e ſtirpe davidica ortus, ſub quo nova emerget felicitas.

V. 9 — 13. Conſolatur hac rerum futurarum exſpectatione Hieroſolymam de conditione ſua, uti tunc erat, triſtiſſima moeſtam. Haec autem exhibetur ut foemina partus dolores ſentiens, et ſonos flebiles edens. יוץ, collective, *conſiliarii tui*, גרח, *erumpere*, et tranſit. *educere* ſc. foetum. De *eruptione ex utero* Hebraeis et Syris frequentatur, cf. *Mich.* Supplem. p. 283. Senſ. Omnino graviſſimas habes cauſſas, propter quas doleas et lugeas, nam urbe expulſa in exilium abibis.

Gentes congregabuntur contra te, dicentes: profanata eſt, Hieroſolyma foedata et male mulctata eſt. חזה et ראה cum ב conſtructum valet *delectari alienis malis*, Pſ. 27, 4.

At errant iſtae gentes, Deus enim *illas congregat ſicut manipulum in aream*. Manipuli in aream colliguntur, ut triturentur. Eadem ſors triturationis, i. e. caedis, quam accipient, graviſſimae, manet gentes Hieroſolymam obſidione cingentes.

Cum vates totus in his cogitationibus eſſet, Sionem jam alloquitur, eamque excitat, ut has gentes aggrediatur, et profliget. Perſtat autem in ſimilitudine triturationis, et Judaeos comparat cum tauris grana exterentibus. Haec ſimilitudo non nimis urgenda, ſed tertium comparationis ſolum quaerendum eſt in triturando, i. e. ſubigendo, vincendo et caedendo.

Eventus hanc praedictionem non comprobavit. Babylonii non a Judaeis, ſed a Perſis et Medis devicti et opibus ſuis orbati ſunt. Ab his Judaei in regnum babylonicum translati libertatem acceperunt, non autem virtute ſua ſe a ſervitute vindicarunt.

והחרמתי - בעשׂ, *et devovebis* etc. 2. perf. praeterit. in Hiphil cum Jod paragogico more Syrorum adjecto. Verbum igitur ad contextum et ex autoritate שׂשׂ LXX, Syr. Vulg. Aq. Symmach. Theod. enunciandum eſt בַּחֲרַמְתִּי. Praedam Deo conſecrarunt, Numer. 31, 37. Graeci quoque ſpoliorum partem Marti et Apollini ſacrarunt, qui mos etiam inter alias nationes obtinuit, Herodot. L. I, c. 89. Pindar. Olymp. od. X.

עתה תתגדדי בת גדוד, *nunc filia turmae praedatricis excideris*, גדוד, *agmen*, *turma praedas agens*, Gallis *detachement*. בת גדוד eſt urbs turmas emittens praedantes, h. l. Babylon. In verbo תתגודדי eſt paronomaſia, alluditur enim ad גדוד. Rad. verbi גדד arab. ſyr. eſt *ſecuit*, *obſcidit*. Senſ. Urbs Babylon, quae tot gentes ſpoliaſti, nunc ſorte tibi interitus deſtinatus eſt. — מצור שם עלינו ab urbe ad perſonas tranſit, *obſidionem ſuper nos poſuit*, obſidione nos cinxit hoſtis babylonius. בשבט את שפט ישׂראל -, *virga percuſſerunt maxillam judicis Iſraelitarum*, i. e. peſſime et ſeveriſſime tractarunt regem judaicum. Hunc nominavit vates *judicem*, ut eſſet ſoni ſimilitudo, quam Michas prae aliis adamavit, inter שפט et שבט. Tranſitus ſubitus a ſingular. ad plural. vatibus hebraeis non eſt inſuetus. — — —

Totum hoc caput non a Micha ſcriptum, ſed ab alia manu ſeriori vaticiniis ejus inſertum mihi videtur. Nam 1) exilium babyl. quod tempore Hiskiae nondum praevidere poterat, clariſſimis verbis deſcribitur. Eo tempore, quo Michas vixit, Aſſyrii erant hoſtes Judaeis metuendi. Ad illos itaque reſpicit Cap. 5, 5. Babylonii tum temporis nec formidabiles, nec Judaeis infenſi fuerunt. Si noſtra de prophetarum vaticiniis theoria vera eſt, Michas certe commata 9 - 14. ſcribere non

non potuit. 2) Hanc ſententiam initium Capitis confirmat, cujus tria commata priora e Jeſ. 2, 1-3. petita ſunt. — —

Cap. 5. Magnus exorietur rex a Davide originem trahens (Meſſias,) qui pacem ſervabit, hoſtes, quales erant Aſſyrii, debellabit, et tantam terrae ſecuritatem praebebit, ut neque equitatu nec urbibus munitis amplius egeat. Impietas et ſuperſtitio tolletur.

V. 1. Licet Bethlehem ſit oppidum exiguum: tamen magnus princeps inde exorietur. *Bethlehem Ephrata*, i. e. quae etiam Ephrata dicebatur, Gen. 48, 7. Michaeus autem hoc epitheton addidit, ut ab alia Bethlehem in tribu Sebulon ſita illam diſtingueret. צעיר להיות, *parva quidem nimis es, ut ſis.* צעיר et ממך reſpicit terminationem nominis Bethlehem, cum alioquin, ut proprium civitatis, ſignificatione ſua ſit foemininum, 2 Reg. 15, 16. Hoſ. 10, 7. *Ut ſis inter chiliadas Judaeae.* Populus iſraeliticus in ſuas chiliadas diſtributus erat, Jud. 6, 15. quarum ſingulis ſinguli praeerant ἡγεμόνες; Exod. 18, 21. Num. 1, 16. Senſ. Bethlehem tam parvum et ignobile fuit, ut non habuerit mille incolas. Sed non obſtante hac *tenuitate* ex hoc oppidulo prodit illuſtris princeps. מוצאותיו de *nativitate* dicitur Gen. 17, 6. 25, 25. ו redundat. להיות, *ut ſit dominator.* Bethlehem fuit locus natalis Iſaei, patris Davidis. Quando igitur princeps e Bethlehem naſcendus dicitur, eum e Davidis familia exortutum eſſe vates declarat. מוצאותיו, *originet ejus.* מקדם, *ex antiquitate.* מימי עולם, *a diebus antiquis*, i. e. a ſtirpe perantiqua genus ducit. Poſteri Davidis per quinque ſecula regnarunt.

V. 2. Hoc comma parentheſi includendum eſt. Immo, ſi verum dicere licet, interpolatum videtur.

Etenim nullam habet connexionem cum oratione antecedenti et consequenti. לכן, *at vero*, יתנם, *tradet eos*, *er wird sie dahin geben*, affligi et vexari illos patietur, עד־ילדה, *dum parturiens parturierit*, i. e. donec liberentur a doloribus. Sicut dolores comparati sunt parturigini, Cap. 4, 9. 10. ita hic liberatio ab illis *parta*. יתר אחיו, *reliqui fratres ejus*, i. e. populares regis novi, Judaei exules. על, *una cum*, Gen. 32, 12. Exod. 35, 22.

V. 3, annectendus est commati 1. Rex רעה, *pascet*, regnabit. Reges ποιμενες λαων appellabantur. בעז יהוה et בגאון שם יהוה sunt phrases synonymicae, *auspice deo* denotantes. ישבו, *sedebunt*, secure nimirum. והיה זה שלום, *et ille erit pax*, i. e. pacem praebebit. *Assyrii cum invadent* etc. Assyrios nomine producit, quia aetate Michae Judaei ab illis admodum vexabantur et fere opprimebantur. *Septem* et *octo*. Numerus certus poetice pro incerto positus est. Sens. non deerunt principes, qui patriam defendant. רעו, *depascent*, coll. Jer. 2, 16. 6, 3. Alii *confringent* a r. רעע. — ארץ נמרד, *terra Nimrodi*, i. e. Babylonia secundum nonnullos; in qua Nimrodus regnum inchoavit, Gen. 10, 10, vel potius per epexegesin et vi parallelismi ipsa Assyria, in qua idem ille, prolato imperio, postea regnavit, collato ibidem v. 11. 12. במתחיה ex parallelismi legibus, *gladiis strictis*, ut idem sit ac מתיחות, *strictiones gladiorum*, Ps. 55, 22. Alii *inter portas ipsius*, i. e. intra ipsas Assyriorum urbes.

V. 6. 7. Judaei populis foedere junctis et amicis benefacient; hostibus erunt exitio. Uti ros et imbres gramen reficiunt: sic Judaei alios sibi faventes recreabunt et reficient. Sicut leo alios lacerat et discerpit; sic Judaei hostes suos exitio

dabunt. רביבים, *imbres copioſi et ſpiſſi.* עשב אדם herba aliunde non niſi imbre coeleſti rigata.

V. 8. 9. Deus ipſe Judaeam defendet ab hoſtium impetu, ideoque non amplius opus erit praeſidiis et munimentis, et non neceſſe erit, ut defenſionem parent. V. 11. 12. Impietatem, idololatriam et ſuperſtitionem Deus auferet.

§. 83.

b) in vaticiniis Jeſaiae.

Majori adhuc cum perſpicuitate Meſſias in vaticiniis Jeſaiae deſcribitur, Cap. 9, 1 - 6, et Cap. 11. et 12. tot. Familia davidica decrevit et extenuata eſt. At interea ſuccreſcit nova proles, qua haec familia rurſus emergit. Rex ſurgit, qui Davidem progenitorem habet, ſapiens, juſtus, fortis bellator, pius, quem ſuas propter eximias virtutes omnes admirantur et celebrant, cujus ſub regimine aurea aetas floret. Ferae deponunt feritatem ſuam, et deſinunt hominibus nocere, et in ſe ipſas non amplius ſaeviunt. Omnes Judaei et Iſraelitae e terris, in quas emigrarunt, reducuntur, et unam in civitatem coaleſcunt, gentes vicinas olim ſibi inimicas ſuperant et in poteſtatem ſuam rediguht, et ſic in ſumma proſperitate et quiete publica vitam agunt.

Jeſ. 9, 1 - 6. Populus in tenebris verſans clara luce colluſtratur; qui terram caliginis cimmeriae inhabitant, iis affulget lux. Multiplicas gentem, auges laetitiam ejus. Laetantur coram te uti meſſis tempore, aut uti exſultant in dividendis ſpoliis.

Nam jugum ejus onerofum et baculum humeris ejus impoſitum, virgam exactoris fregiſti

BIBLIOTHECA BODLEIANA

uti die midianitico, quo caligatus caligas trepide alligabat, sagumque in sanguine volutatum igni tradebatur comburendum.

Nam puer nascitur nobis, filius datur nobis, dominatus humeris ejus imponitur. Erit mirabilis, consiliarius, fortis heros, immortalis, pacificus. Amplificabit regnum, pacem diuturnam tuebitur solio Davidis insidens, et regno ejus praepositus, ut illud firmet et sustentet aequitate et justitia in perpetuum. Haec Jova omnipotens pro amore suo perficiet.

Jes. Cap. 11. et 12. Surculus e trunco Isai prodibit, et virga e radicibus ejus efflorescet. Requiescet super illo spiritus Jovae, sapientia, prudentia, consilio, fortitudine, religione et pietate praeditus erit. Non ad aspectum *oculorum* suorum judicabit, nec ad auditum aurium suarum redarguet. Juste tenues judicabit, et afflictorum causas aequissime dirimet, terram baculo oris sui percutiet, et halitu labiorum suorum *impium* perdet. Justitia erit cingulum lumborum suorum, et fides cingulum femorum ejus. Lupus cum agno commorabitur, et pardus cum hoedo cubabit, et juxta vitulus, leunculus, bubalus, parvo puero eos ducente. Vacca et ursus simul pascent, catuli eorum cubabunt, et leo sicut bos gramine vescetur. Lactens ad cavernam aspidis ludet, et ablactatus ad speluncam basiliści manum suam emittet. Nec noxam nec damnum inferent in toto monte meo sancto. Nam terra replebitur cognitione Jovae, uti aquae mare tegunt. Tum radix Isai stabit in signum populorum, quod gentes quaerent, locusque, quo infixa est, illustris erit.

Tum Jova secunda vice acquiret reliquias populi sui, quae supersunt, ex Assyria, Aegypto,

BIBLIOTECA

Pathros, Cuſchaea, Elamitide, Sinear et Hamat, et ex oris maritimis. Signum eriget gentibus, et colliget patria extorres Iſraelitas, et diſperſos Judaeos e quatuor terrae plagis congregabit. Invidia Ephraimi recedet, et qui Judaeae invident, exſcindentur. Nec Ephraim Judaeae, nec Judaea Ephraimo invidebit. Irruent in Philiſtaeos mare verſus ſimul, ſpoliabunt Orientales, Idumaeis, Moabitis manus ſuas immittent, et Ammonitas ſibi ſubjicient. Jova devovebit ſinum maris aegyptii et manum agitabit ſuper Euphratem arido vento ſuo eumque in ſeptem canales dividet, ut calceis transgredi poſſis. Via munita erit reliquo ſuo populo ex Aſſyria, quemadmodum fuit Iſraelitis, cum e terra Aegypti aſcenderent.

Cap. 12. Tum dices: grates tibi ago, Jova, quod, cum contra me iratus fueris, ira tua averſa ſit, et me conſolatus es. En, Deus eſt autor ſalutis meae, in eo confido et non paveo, Jova eſt canticum meum, et ſalutem mihi largitus eſt.

Aquas haurietis cum laetitia e fontibus ſalutis, et de Jova dicetis: invocate eum, proclamate inter populos opera ejus, commemorate, nomen ejus eſſe illuſtre. Pſallite Jovae, nam magna fecit, hoc notum fiat in tota terra. Sionitae ovate et cantate, nam Numen Iſraelitarum eſt magnum.

Ad §. 83. Jeſ. 9, 1 - 6. Magnam miſeriam, quam Jeſaias Cap. 8. deſcripſerat, felicitas major ſubſequetur, quam filio regis recens nato, imperii ſucceſſori futuro debebunt. Ejus indolem egregiam et animi virtutes depingit, et quam prudenter et fortiter res ſuas geſturus ſit, uberius exponit.

העם ההלכים, *populus in tenebris verſatus* etc. Quia עם eſt nomen collectivum, participium plurai. additum eſt. *Tenebras* omne miſeriarum genus, *lucem ſplendentem* ſummam felicitatem denotare, ſatis cognitum eſt. Senſ. Subito nova felicioris ſortis ſpes miſero et vexato populo affulget. הרבית הגוי, *numeroſum reddis populum.* Pro לא lege cum Kri et nonnullis antiquis interpretibus לו, *auges ei laetitiam.* Quia laetitia ſumma eſt meſſis tempore, aut ubi exercitus hoſtem vicit et ſpolia dividit, cum illa laetitia populi meliorem ſortem exſpectantis comparatur.

Qualis autem eſt illa nova, quam exſpectarunt, felicitas? jugum ſervitutis, quo ingemiſcebant preſſi, mox excutietur, v. 3. אתּ־סבלו, *jugum oneris ejus*, i. e. quod bajulavit. מטה שכמו, *baculus humeri ejus* pro vecte ſeu jugo ligneo cervici impoſito. הנגשׁ בו, *exactor ejus*, tyrannus. *Sicut die midianitico. Dies* ſimpliciter dicitur pro *die praelii*, uti Arabes: *dies Bedrenſis.* In oppreſſoribus Judaeorum tanta ſtrages edetur, quanta olim in Midianitis, quibus Gideon ex improviſo ſupervenit. כי כל סאון־בּרעשׁ, duplex eſt hujus loci verſio. Ex סאן Aethiop. et Syr. *calceavit, ſe calceavit*, haec eſt verborum vis: *nam ocrea ocreati erat cum tremore*, i. e. ubi ocreati magno cum tremore ocreas, armaturam bellicam, (apud Graecos κνημῖδες Ἀχαιῶν,) alligarunt. Haec verſio cum altero membro congruit: *veſtis in ſanguine volutata comburebatur.* Alteram verſionem dedit *Schultenſius*, שׁאן arab. *res, negotium, actio: quicquid intendebant, erat tumultus.*

V. 4. 6. Is princeps nunc nominatur, per quem in libertatem vindicabuntur. *Puer nobis naſcetur, cujus humeris dominium erit impoſitum*, qui regnabit. Antiqui ſolebant gladium, ſym-

bolum imperii, ab humero ſuſpendere, ut apud Homerum: αμφι δ'αρ ωμοισιν βαλετο ξιφος αργυροηλον. ויקרא impersonaliter, *nomen ejus appellabitur*, pro *erit*. פלא, *mirificus*, אל גבור, *fortis heros*. אל ab אול, *fortis*, Ezech. 32, 21. אלי גבורים, *fortes heroum*. Fortitudinis notio in אל uſu in oblivionem abiit, quare ei epitheton גבור additur h. l. et Cap. 10, 21. אבי־עד, *immortalis*, per plura ſecula celebrandus. אב *herum*, *poſſeſſorem* quoque denotat, 1 Sam. 24, 12. לטרבה המשרה־אין קץ, *fines imperii proferet*. קנאת, *amor ardentiſſimus*, Jeſ. 63, 15. Zachar. 1, 14.

Cap. 11. Familia davidica humilis et depreſſa iterum emerget per principem ex ea natum, eximiis animi dotibus inſtructum. Aurea, illo regnante, aetas erit. Illo auſpice Judaei Iſraelitis juncti res ſuas fortiter gerent, quin exterae gentes ad eum confugient. Nil metuendum erit, quae nocere poſſent, nociva eſſe deſinent. — *Truncus Iſai* eſt familia Davidica, quae dignitatem et ſplendorem priſtinum amiſit. *Surculus naſcitur*, principalis filius naſcetur, qui florem amiſſum reſtituet. ונחה accentu retracto, a נוח, ſpiritus Jovae ſuper eo requieſcet, Numine erit afflatus. רוח חכמת, *ſapientia divinitus data*. Vetus fuit opinio, omnes animi et corporis dotes a Deo immediate hominibus ſuppeditari. Senſ. Hic princeps magnis multisque virtutibus excellet. דעת ויראת יי, *cognitio et timor Jovae*, religio et pietas. והריחו praeterit. in Hiphil, *afflabit eum*; i. e. pius erit. ולא לטראת nullam habebit προσωποληψιαν. בשבט פיו, *baculo oris ſui*, durior metaphora, cujus ſenſ. *reos condemnabit*. Ad illuſtrationem huc pertinet IV Eclog. Virgilii:

magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,
jam redit et virgo, redeunt ſaturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
caſta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

V. 5. Juſtitia et fide erit ornatus, V. 6-9. Ferae deponent feritatem ſuam, et paci ac concordiae inter ſe ſtudebunt, uti eſt in aurea mundi aetate. Virgil. in ead. ecl.

Ipſae lacte domum referent diſtentae capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et ſerpens, et fallax herba veneni
occidet, aſſyrium vulgo naſcetur amomum.

וְהִשְׁתַּעֲשַׁע, *oblectabit ſe*, שעע ſyr. *laevis fuit*, שעשע propr. *mulſit*, *mollivit*, metaphorice *oblectavit*, prout etiam Latine *mulcere* dicitur pro *oblectare*. צפעני, *baſiliſcus* flatu venenato interimens, ex arab. ספע, *flatu adduſſit*, et צפצף, *ſono ſibilante feriit*, שרש-לנס. Ex radicibus ſurculus prodibit in arborem excreſcens, cujus umbram peregrinantes quaeſituri ſunt, Senſ. Multae gentes ad hunc regem illuſtrem confugient. מנוחתו, *locus quietis ejus*, locus terrae, cui infixa erit, i. e. ſedes regia, Hieroſolyma.

V. 11, 12. Diſperſi Judaei et Iſraelitae colligentur e locis exilii ſui, quibuscunque fuerint, פתרס, Phaturitis, nomus eſt, quem Plinius Thinitem inter et Coptiten in ſuperiori Aegypto ponit, Jeremias et Ezechiel פתרוס ut partem Aegypti deſcribunt, Jer. 44, 1. 15. Ezech. 29, 14. 30, 14. *Cuſchitis*, provincia Arabiae felicis, et Abeſſynia. *Elymaeis*, provincia Perſiae inter Suſianam et Perſidem. *Sinear*, regio circa Babylonem. אי, *ora maritima*, *inſula*, a r. אוה, *habitavit*. Negari

non poteſt, Jeſaiam quoque Meſſiam ſtatim exſpectaſſe finito exilio, et quidem aſſyriaco.

V. 13. Diſſidium inter Judaeos et Iſraelitas ceſſabit, et utrique iterum uni et communi regi obedient. צררי, *invidentes, aemulantes*, r. צרר, *aemulatus eſt, zelotypia contendit*; 1 Sam. 1, 6. *Ephraim*, tribus potentiſſima, ponitur pro regno decem tribuum.

V. 14. Hoſtes ſuos devincent. *Involare in humeros*, impetum facere in aliquem. *Orientales*, Arabes. משמיחם, *obedientia illorum*. Abſtractum pro Concreto, erunt illis obedientes. *Sinus maris aegyptii*, eſt mare rubrum. החרים, *diris devovebit*, iisque efficiet, ut areſiat. Alluditur ad tranſitum Iſraelitarum per mare rubrum, qui ſicco pede fiebat. Non opus eſt, ut lectio החרים cum *Lowthio* mutetur in והחריב, *exſiccabit*, nam haec phraſis quoque Jer. 25, 9. occurrit, et melius cum altera יבש הנהר ידו convenit. נהר *Euphrates*, עים, *ſitis, neſtus, ardor*, a r. עים arab. *ſitivit*. Arido ventu Euphratem exſiccabit, uti olim mare rubrum. Senſ. Deus efficiet, ut nihil impedimenti, redituì Iſraelitarum in patriam obſtet.

Cap. 12. Judaei inducuntur grates Deo agentes pro beneficiis liberationis ex exilio, et Meſſiae ידה, *grates agere*, laudare, in Hiphil. כי אנפת אפך, *quod iratus fueris, quod ira tua averſa ſit*, i. e. quod, cum iratus fueris, ira tua averſa eſt. Hebraeiſmus, quem Chriſtus imitatus eſt, Matth. 11, 25. את ישועתי, *Deus eſt ſalus mea*, i. e. autor ſalutis meae. עזי וזמרת יה. Formula petita eſt ex Exod. 15, 2. *canticum meum eſt Jah*, וזמרתי legendum eſt, ita LXX, Syr, Chald, Vulg, 2 codd. Jod periit, quia ſequens verbum a Jod incipit. יה, *aeternus*, videtur decurtatum ex יהוה. *Scheidius*

ad Jes. 38. p. 45. autem monet, descendere יָרַד a r. יהה, quod affine sit הוה; *existere*, et notare proprie *necessario existens*, ὁ ὤν, τὸ ὄν. — *Aquas cum laetitia hauritre è fontibus salutis*, de salute laetari. מודעת, *hoc notum fiat*, partip. in Hoph. foem. generis, quo Hebraei pro neutro utuntur. עלילותיו, *opera sua*, quae Deus fecit ad populum suum liberandum. צהל, *elatam vocem edere*, *jubilare*. קדוש ישראל, *Numen Israelitarum venerandum*. — Sionem, Messia adveniente, sedem Dei praesentis manere, illumque ibi porro ex praeceptis legum mosaicarum colendum esse putarunt.

§. 84.

c) in posteriori parte Sachariae.

In vaticinio Sachar. 9, 9 - Cap. 10. tot. promittitur rex, qui sit victor, justus, pacificus, heros; fines terrae tam late proferet, quam a Mose determinati sunt. Eo imperante Judaei et Israelitae juncti victricia arma circumferent, Israelitae exsules ex Assyria et Aegypto revertentur in patriam, et omnia impedimenta, quae illis obstare possent, removebuntur. — Certe hic rex nullus alius est quam Messias, cujus adventum autor anonymus sub finem exilii assyriaci exspectavit.

Sachar. 9, 9 - Cap. 10. tot. Laetare filia Sionis, jubila filia Hierosolymae, ecce rex tuus ad te veniet, justus et servator, mansuetus et super asino equitans, et pullo, filio asinarum. Exscindam currus ex Ephraim, et equos ex Hierosolyma, arcus bellicus frangetur, pacem gentibus annunciabit, et dominatus ejus erit a mari ad mare, et a flumine ad fines terrae. Propter

foedus tuum ſanguine ſanctum captivos tuos dimittam e fovea, in qua non eſt aqua. Revertimini ad terram aridam, vos in ſpem futuram detenti, ego me vobis duplum redditurum eſſe promitto. Nam tendo mihi Judaeos velut arcum, impleo Ephraimitas uti pharetram, et excito filios tuos, Sion, adverſus filios tuos, Javan, et fortem te reddo uti gladium.

Jova illis apparebit, et ſagitta ejus fulguris inſtar exibit, Dominus Jova tuba clanget, et in turbine Auſtri abibit. Jova omnipotens illos proteget. Comedent, et lapidibus fundae ſubigent, et bibent titubantes tanquam a vino. Replebuntur, uti pelvis, uti anguli altaris. Jova tuno illos ſervabit ut gregem populi ſui, uti lapides pretioſos micantes, in terra ſua.

Quanta erit ejus felicitas et pulchritudo! frumentum juvenes, et muſtum virgines efflorescere faciet.

Rogate a Jova pluviam tempore pluviae ſerotinae. Jova, qui facit fulgura et imbrem effuſum, dabit cuilibet fruges campi. Teraphim enim loquuntur inutile, divinatores vident mendacia, ſomniatores falſa promittunt, et vana dant conſilia. Propterea abibunt ſicuti grex, humiliabuntur, quia non habent paſtorem.

Contra paſtores ira mea exarſit, et in hircos animadvertam, nam Jova omnipotens curam habebit gregis ſui, domus Judae, et reddet illos uti equos ornatos in bello. Ab eo erunt angulus, ab eo paxillus, ab eo arcus belli, ab eo exibit omnis exactor ſimul. Et erunt uti heroes coenum calcantes foras in bello, et pugnabunt, etenim Jova illis aderit, et pudefient equites. Et confortabo domum Judae, et domum Joſephi ſervabo, et eos

habitare faciam, et illorum miserebor; erunt quasi eos non deseruissem, nam ego sum Jova, Deus eorum, itaque eos exaudiam. Ephraimitae erunt sicuti heroes, cor eorum laetabitur tanquam vino. Filii eorum laetabuntur, animus eorum in Jova exsultabit. Sibilabo illis, et eos colligam, quia eos redimam. Tam numerosiores fient, quam antea fuerant. Disperseram quidem eos inter populos, sed in terris longinquis mei recordati sunt, et cum filiis suis feliciter redibunt. Reducam eos e terra Aegypti, et ex Assyria colligam, in terram Gileaditidos et Libani adducam, ut locus illis non inveniatur. Transibit per mare angustiae, et fluctus in mari percutiet, et omnes profunditates fluvii exsiccabuntur. Fastus Assyriae dejicietur, et virga Aegypti recedet. Confortabo eos per Jovam, et in nomine ejus ambulabunt, inquit Jova.

Ad §. 84. Sachar. 9, 9 - Cap. 10, tot. *Primo* notandum est, hoc vaticinium non ad Sachariam, sed ad autorem ignotum temporis antiquioris referendum esse. Quemadmodum totam Sachariae partem secundam inde a Cap. IX - XIV. aliis et quidem diversis autoribus deberi complures eruditi judicaverunt; ita quoque de nostra sectione idem valet judicium. Autor scripsisse videtur eo tempore, quo Israelitae quidem jam in exilium assyriacum abducti fuerant, Cap. 10, 10. Regnum Judae autem tum sine dubio nondum erat destructum. Alioquin enim autor reditus e Babylone etiam mentionem injecisset. —

Qualem Messiam depinxerit, jam superius diximus. Singula commata igitur illustranda sunt. בת ציון et בת ירושלים sunt synonyma, Hierosolyma, quam tanquam regiam alloquitur, et ut

ex Jove et illustri rege laetitiam percipiat, serio excitat. נושע, *servatus, victoriosus.* Arab. אנחשר conjugat. VII., quae נוש Niphal respondet, *adjutus est, victor.* רכב על חמור, *asino vectus.* Equis Orientales in bello, asinis in pace, et praecipue in itineribus utuntur, et non solum ignobiliores, sed etiam nobiliores, Gen. 49, 14. Jud. 5, 10. Igitur non est signum animi modesti, ab omni fastu et arrogantia alieni, cum autor Messiam super asino sessurum esse commemorat, sed pacis amoris. Propterea עני, *mansuetus*, dicitur. עיר, arab. *pullus asininus. Filius asinarum* additur, ad stirpem asini, quo rex vehitur, generosiorem indicandam. Arabes adhuc hodie stemmata equorum et asinorum componunt.

V. 10. Novus rex erit pacificus, belli instrumenta removebit, attamen imperium ejus erit tam late extensum, quam Davidis tempore fuerat. מים עד ים, *a mari* orientali, i. e. mari mortuo, *usque ad mare* occidentale, i. e. mediterraneum. מנהר, *ab Euphrate* usque ad oppositos *fines terrae.*

V. 11. Israelitae exules dimittentur et in patriam remittentur. גם את, sc. Sion, haec verba autem in Nominativo absoluto posita sunt, *quod ad te attinet.* בדם בריתך, *propter sanguinem foederis tui*, i. e. propter foedus tuum sanguine effuso, i. q. victimarum mactatione, sancitum, שלחתי, *dimitto captivos tuos e fovea, in qua non est aqua.* Cisternae, in quibus non erant aquae, pro carcere adhibebantur. In cisternam hujus generis Jeremias custodiae ergo immittebatur, Jer. 37, 16. Hinc nostra phrasis innuit *dimissionem* e *captivitate* s. exilio. שובו לבצרון vertunt: *revertimini ad munimentum firmum*, per quod *Kimchi* Deum, alii Hierosolymam ipsam intelligunt, urbem fortem et munitam. Sed antithesis est clarior, si בצרון ver-

tis: *locus aridus*, uti בְּצִיָּה eſt *ficticus*, Jer. 17, 8. Pſ. 9, 10. 10, 1. Jer. 14, 1. E ciſterna tuenoſa aſcendite ad locum ſiccum et firmum.

V. 13. 14. Omnes hoſtes ſuos, auſpice Deo, feliciter vincent. Judaei et Ephraimitae erunt bellicoſi, et in proeliis ſuperiores evadent. דָּרַכְתִּי־קֶשֶׁת *tendo mihi Judaeam ut arcum*, i. e. arcum Judaeorum tendo, Judaeos reddo militares et pugnaces. מִלֵּאתִי אֶפְרַיִם, *impleho Ephraim* ſc. ſagittis, pharetrae inſtar, Pſ. 126, 5. Aliter *Schultenſ.* in animadverſſ. philol., *implevit manum ſuam arcu*, i. e. manu fortiter tetendit arcum. Plene eſſet: וַיָּדֵךְ מִלֵּא קֶשֶׁת, *complete tetendit arcum*. Haec phraſis Arabibus quoque uſitata eſt. יָוָן, *Ionia* pro *Graecia*, vid. *Michael.* Spicileg. Geograph. Hebr. exter. T. I. p. 39. Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharnan.: omnes Graecos barbari Iones appellabant. Poetice *Grueci*, populi remoti, pro omnibus Judaeorum inimicis nominati ſunt.

V. 14. Deus praeſentia ſua iis aderit, atque opem feret. Hic eſt ſenſus horum verborum Deum in tempeſtate advenientem deſcribentium. *Sagittae ejus* ſunt fulgura, *tuba clangere* eſt tonare. Ex Auſtro turbines erant frequentes, Jeſ. 21, 1. Deum autem nubibus vectum in turbine eſſe, priſcae gentes crediderunt. — וְכִבְשׁוּן = קֶלַע, *vel* ſubigent eos (a) lapidibus fundae, *vel* (b) ut lapides fundae eos projicient. — וְשָׁתוּ = יַיִן, *et bibent*, *attoniti vagabuntur uti a vino*. Senſ. Sanguinem hoſtium bibent tam copioſe, ut ab eo velut a vino inebrientur. Hoc non proprie intelligendum eſt, ſed poetice. Quemadmodum enim אפל de conſumtione hoſtium, ita etiam potus ſanguinis eorum de caede et multo effuſo ſanguine recte explicatur. הֹמֶר a rad. הוּם, *attonitum vagari*, *mentis impotem diſcurſare*, arab. هام eſt propr. *rotari*,

ἀνατεθῆναι. ופלאן adſpergentur guttis ſanguinis ſicut pelvis, quo ſanguis victimarum excipiebatur, Numer. 7, 13. Ceu *anguli altaris*, ad quos idem ſanguis e pelvi ſpargebatur. — מחנוספות, *emicantes*, a r. נסס, *micuit*, *emicuit*, *ſplendore eminuit*, vid. *Schult.* Origg. p. 67. Senſ. Iſraelitae Deo tam cari erunt, quam magni aeſtimantur lapides pretioſi, quibus corona vel cidaris regia ornata eſt, ואשרתו על ארמתו pertinent ad ישרעם. Senſus: ſub tutela divina patriam ſuam beatiſſime incolent. — Caeterum notandum eſt, prophetam a ſecunda perſona Singularis ad tertiam plural. tranſiiſſe. — מה טובו, *quanta erit felicitas ejus.* Incertum eſt, ad quem ſuffixum referri debeat, num ad Deum, active, felicitas, quam Deus praebet; an ad populum paſſive, qua Iſraelitae fruentur. ינובב a r. נוב, *in orbem ire*, *provenire*, *creſcere*: frumentum juvenes et muſtum virgines creſcere et efflorescere facit, cf. *Michael.* Suppl. p. 1610. Quo foecundiores ſunt anni, eo plura contrahuntur matrimonia, et eo numeroſior ſuccreſcit proles.

Cap. 10. Imbre, quae opportuno tempore e coelo dimittitur, foecunditas terrae augetur. Quae fertilitas ut eveniat, pluvia a Deo, non a fictitiis diis petenda, nec fiducia in pſeudoprophetis ponenda eſt. מלקוש, *pluvia ſerotina* verno tempore paulo ante meſſem decidens. יחך בשדה, *dabit illis*, *cuilibet fruges campi.* מטר גשם, *effuſus imber.* — חלומות, *ſomnia* pro ſomniatoribus. Sic Vulg. Jonath. והשוא ידברו, *vana promittunt.* נסעו, *abierunt* in exilium. ישנו, omnes veteres interpretes, praeter Vulgatum, legunt וַיָּעֲנוּ, *humiliabuntur.* Rad. ענה in Kal intranſitive eſt, *depreſſus*, *afflictus eſt*, Jeſ. 31, 4. Pſ. 116, 10. רעה, *rex.*

V. 3. *Contra paſtores*, regem et principes populi, ſacerdotes. Iidem per *hircos* ſignificantur.

Quos paulo ante pastores propheta vocaverat, eos jam hircos nominat. Poetae orientales audacius subito ab una metaphora ad alteram minus congruam transiliunt. פקד cum על constr. est *animadvertere in aliquem*, פקד את, *rationem alicujus habere*, eum curare et beneficiis afficere. סוס הדרו, *equus decoris sui*, i. e. quem phaleris condecoravit. Sens. Faciet eos fortes, velut equum bellatorem, qui in proelia ruit intrepidus, eosque velut habenis ducet ad exsequendam voluntatem suam.

V. 4. ממנו, *ab illo*; Deo. Si hoc est, sensus erit: Deus ipse populo dabit duces suos. Sed alii illud ממנו intelligunt de populo Israelitico, et tunc independentia et αὐτονομία ejus describitur. Sens. Non alienis dominis subjecti erunt, sed e medio suo principes surgent et duces belli, quibus obediant. פנה, *angulus*, lapis angularis pro capite et principe ponitur, Jes. 28, 16. Jes. 51, 26. יתד, *paxillus*, qui firmando tentorio terrae infigitur, et in quo variae res suspenduntur. Hinc transfertur ad administrum regium summae dignitatis, Jes. 22, 23. קשת מלחמה, *arcus belli*, bellator, imperator. נגש, quilibet *praefectus*, etiam bonus, Jes. 60, 17. נוגשים participium praes. anomalice בוס pro בָּס a r. בוס, *conculcare*. Sens. hostes suos conterent. *Domus Joseph*, quae antea *Ephraim* dicebatur, denotat regnum decem tribuum.

V. 7. Filii ex aequa parte bonis parentum laetabuntur.

V. 8 - 12. Deus Israelitas ex exilio babylonico revocabit. *Sibilabo illis*, sibilando eos vocabo. כמה דבר, *uti olim multi erant*. Solis de Israelitis sermo est, qui revocandi sunt. Judaei itaque tum, cum autor haec scriberet, nondum in captivitatem abducti fuisse videntur. ופזרתים, *et dispergam eos* qui-

quidem, ut ſemen, quod diſpergitur, non ut pereat, ſed fructificet. זרע hic *diſperſionem exilii* denotat, et idem hic eſt, quod alibi cognatum פוץ, Jer. 15, 7. Melius autem legitur: וְאֲזָרֵעֵם, *diſperſeram quidem eos. — Gileaditis et Libanon*, partes regni iſraelitici, quod in duas partes ſcindebatur, Transjordanenſem, quae Gileaditis vocatur, et Cisjordanenſem, quae, quoniam Libani montibus vallabatur, hic terra Libani dicitur. ולא ימצא להם מקום, Vulgata bene: et non invenietur locus, qui tantam capiat multitudinem. ועבר בים צרה, et *Iſraelitae tranſibunt per mare angustum*, fretum maris. Alluditur ad tranſitum Iſraelitarum per mare rubrum, qua alluſione indicatur: ſicut olim Deus effecit, ut Iſraelitae feliciter evaderent, et ipſum fretum arabicum transgrederentur, ſic nunc quoque illum omnia impedimenta ſublaturum eſſe, quae reditum Iſraelitarum remorari poſſent. Aſſyrii et Aegyptii reprimentur. ביהוה, *per Jovam*, i. e. per me ipſum; Deus enim ipſe loquitur.

§. 85.

d) in Jeremiae vaticiniis.

Jeremias et ante exilii babylonici tempora vixit, et hanc patriae ruinam ipſe adhuc expertus eſt. At in rebus adverſis non deſperat, ſed firmiter credit, Deum meliorem aliquando Judaeorum ſortem redditurum eſſe. Ille quoque Meſſiam exſpectavit, et vivis imaginibus deſcripſit. Haec autem illius eſt promiſſio meliorum temporum. Judaei aeque ac Iſraelitae in patriam redibunt, et respublica eorum reſtituetur. Quod ut fieri poſſit, dabit illis Deus regem, qui genus a Davide ducit, prudentem, aequum et juſtum, quo regnante Judaei

et Iſraelitae in libertatem vindicabuntur, ac ſecure degent. Et tum ſibi reges e familia davidica orti ſuccedent in perpetuum, et nunquam regnare pergent. Nec non cultus Leviticus reſtituetur, nunquam amplius abolendus, Jer. 23, 3 - 8. 33. 14 - 18.

Jer. 23, 3 - 8. Colligam reliquias gregis mei ex omnibus regionibus, in quas eos diſpuli, et in caulas ſuas reducam, foetificabunt, et multiplicabuntur. Et praeficiam illis paſtores, qui eos paſcent. Non amplius timebunt, nec conſternabuntur, nec deſiderabuntur, inquit Jova.

Ecce veniunt dies, inquit Jova, dabo Davidi germen juſtum, rex regnabit, proſperabitur, jus et juſtitiam exercebit in terra. Judaea ſuo tempore ſalvabitur, Iſraelitae ſecure degent, et nomen, quo inſignietur, erit: Jova ſalus noſtra. Propterea ecce veniunt dies, inquit Jova, quibus non amplius dicent: per vitam Jovae, qui Iſraelitas aſcendere fecit ex Aegypto; ſed: per vitam Jovae juro, qui poſteros Iſraelitarum aſcendere fecit et adduxit e terra ſeptentrionali, et ex omnibus regionibus, in quas illos diſpuleram, et in patria ſua habitabunt.

Jer. 33, 14 - 18. Ecce dies veniunt, inquit Jova, quibus implebo promiſſionem Iſraelitis et Judaeis datam. Illis diebus et illo tempore ſuſcitabo Davidi germen juſtitiae, jus et juſtitiam in terra exercebit. Illis diebus Judaea felix erit, et Hieroſolyma ſecure habitabitur. Nomen ei dabitur: Jova ſalus noſtra. Nam ſic inquit Jova: Davidi non exſcindetur, qui ſedeat ſuper ſolio Iſraelitarum, et ſacerdotibus Levitis non exſcindetur, qui coram me holocauſtum offerat, libamen adoleat, et ſacra quotidie faciat.

Ad §. 85. Jer. 23, 3 - 8. Judaei e terris, in quas dispersi erant, a Deo reducentur, et tum rex prudens, bonus et justus, e familia Davidis oriundus, illis imperabit. Propheta utitur comparatione consueta, qua Judaei gregi ovium, reges autem et principes pastoribus assimilantur. Hinc *ad caulas suas reduci* est ad patrium solum. לא יפקדו, *non desiderabuntur* tanquam deperditae oves. *Davidi germen justum excitabo*, i. e. e posteris Davidis surget rex omnibus regiis virtutibus ornatus, prudentia, justitia, Judaeos ac Israelitas beabit. יקראו, *vocabit illum*, quae lectio si genuina est, יהוה cum hoc verbo conjungendum est, prouti LXX habent, ὃ καλέσει αὐτὸν κύριος. Sed יהוה in loco parallelo Cap. 33, 15. est pars nominis Messiae. Et hoc quidem recte, Deus enim Messiam *justitiam nostram* vocare haud potuisset. Itaque verbum hoc melius effertur in plurali יקראו, quam lectionem Syr. Chald. Vulg. et 5 codd. Rossiani expresserunt. יהוה צדקנו, *Jova salus nostra*, i. e. salutis nostrae autor. Hoc nomen convenit cum צדקיהו. In Cap. 33, 15. Hierosolymae tribuitur. — *Terra septentrionalis* est Babylonia. — Cap. 33, 14 - 16. דבר הטוב, *verbum bonum*, promissio bonorum. צמח צדקה, *germen justitiae*, soboles justi et aequi amans. Verba impropria et propria composita sunt. וזה - יקרא לה, *et hoc erit, quo illam nominabit* (sc. קרא, *nominans*), i. e. hoc erit nomen, quod Hierosolymae dabitur. Pro לה possis enunciare לה, *vocabunt eam*, quod cum loco parallelo Cap. 23, 6. melius convenit. Tres codd. legunt לו.

Alia adjungitur promissio, posteros Davidis in perpetuum regnaturos, nec non cultum leviticum duraturum esse. Qualis igitur Jeremiae fuit spes? Messias veniet, exules Judaeos et Israe-

litas reducet; quicquid in regno suo aget, prospere succedet; justitiae studebit. In locum ejus alii reges davidici, unus post alterum, succedent, et exercitium religionis mosaicae nunquam desinet. —

§. 86.

B) Descriptiones Messiae in scriptis prophetarum, qui in exilio babylonico et post illud floruerunt.

a) in vaticiniis Ezechielis.

Ezechiel, qui exul ad flumen Chaboram vixit, non minus ac alii, qui praecesserunt, prophetae, meliora exspectat tempora. Haec autem votorum suorum et spei certissimae fuit summa: Israelitae, e gentibus barbaris, ad quas exules migrarunt, collecti, in Palaestinam revertentur, ibique regi davidico subjecti omnibus bonis cumulabuntur. Futuris temporibus nunquam e terra sua expellentur, non in duo regna divisi, sed in unam rempublicam conjuncti, non nisi unico regi, qui Davidem habeat progenitorem, obedient, praecepta divina a Deo per Mosen praescripta pie observabunt, adeoque sub tutela et auspiciis Jovae apud illos in sanctuario suo praesentis prosperrimo omnium rerum suarum successu utentur. Ezech. 34, 23 - 31. 37, 21 - 28.

Etsi non claris verbis significetur, Ezechielem hanc novam populi Israelitici fortunam secundam opibus *certi cujusdam regis davidici* effectum iri sperare: tamen eum, praecedentes quia legerat vates, per *unum pastorem davidicum* Messiam intellexisse, absque erroris periculo supponere possumus.

Ezech. 34, 23 - 31. Excitabo illis unum pastorem, qui illos pascet, cultorem meum Da-

videm, hic illos pascet, illisque pastor erit. Ego autem Jova illis ero Deus, et cultor meus David erit eorum princeps. Haec ego Jova promitto. Salutem iis largior, bestias nocivas e terra removebo, secure in deserto sedebunt, et in silvis dormient. In circuitu collis mei eos omnibus bonis cumulabo, pluviam opportuno tempore demittam, pluvia erit larga. Arbores agrestes fructus suos dabunt, et terra proventus. Secure in terra habitabunt, et me Jovam esse cognoscent, cum jugum iis impositum excussero. Eripiam illos e potestate oppressorum suorum, gentibus non amplius erunt praedae, ferae eos non devorabunt, secure, nemine terrente, habitabunt, succrescere illis plantam celebrem faciam, fame non amplius peribunt, neque gentium opprobrium ferent. Et cognoscent, me Jovam Deum suum iis adesse, et Israelitas esse populum meum, inquit Dominus Jova. Vos eritis grex meus, grex pascui mei, ego autem Deus vester, inquit Dominus Jova.

Ezech. 37, 21 - 28. Alloquere illos: Sic inquit Dominus Jova: ego Israelitas e gentibus, ad quas migrarunt, auferam et circumquaque colligam, et in terram suam adducam, eosque in unum populum in terra in montibus Israelitarum coalescere faciam. Unum habebunt regem, nec in duas nationes nec duo regna divisi erunt. Non polluent sese abominandis suis et detestandis idolis et defectione sua, et servabo illos ex omnibus habitaculis suis, in quibus peccarunt, et purificabo, erunt populus mihi peculiaris, ego autem eorum Deus. Et praecepta ac statuta mea observabunt, et in terra habitabunt, quam cultori meo Jacobo dedi, quam majores vestri inhabita-

runt. Hanc ipsi et filii et nepotes eorum incolent in perpetuum, et David cultor meus iis princeps erit in aeternum. Salutem ego illis impertiam, semper illis propitius ero, eos multiplicabo, ac sanctuarium meum apud illos habebo. Habitaculum meum erit apud illos, ego illis ero Deus, et ipsi erunt populus mihi peculiaris. Gentes agnoscent, me sanctificare Israelitas, quia sanctuarium meum apud illos est in perpetuum.

Ad §. 86. Ezech. 34, 23 - 31. Vates negligentiam et incuriam antistitum populi incusat, qua non de vera illius salute solliciti avare opes populo extortas corraserunt et luxuriae se dederunt. Inde patriae ruina origines traxit. Sed Deus populi hujus miseri memor illum recolliget, eique meliorem principem praeficiet, stemma quidem etiam a Davide ducentem, at sub quo Deum propitium et sibi faventem habebunt.

רעות אחד, *unus pastor*, rex, princeps. Reges enim ab antiquis cum pastoribus comparabantur, ideoque ποιμενες των λαων vocabantur. *Pascet*, reget, עבדי דויד, *cultor meus David*. Cum Davides dudum in vivis esse desiisset, non aliter vates intelligi potest, quam, uti Hos. 3, 5: alter Davides surget, i. e. Davidides, rex e familia Davidis oriundus.

V. 25, כרת ברית שלום, *pangere foedus salutis*, i. e. largiri salutem et omnia prosperitatis genera. Si Deus cum hominibus foedus pepigisse dicitur, eum aliquid certo pollicitum esse exponendum est.

V. 25 - 27. Partes novae felicitatis enumerantur. Aureum seculum erit, bestiae feritatem deponent, et in homines saevire illsque damnum inferre desinent. Per deserta tuti ab insultu fera-

rum et morsu serpentum oberrare, et in silvis dormire poterunt. V. 26. Magna erit terrae fertilitas. *Faciam illos, et qui sunt in circuitu colli mei, benedictionem*, i. e. omnibus bonis illos cumulabo. *Collis Jovae* est mons, in quo templum exstructum erat, Moriah. ברכה abstractum positum est pro concreto ברוכים, *fortunatos reddere*. V. 27. A jugo servitutis liberabuntur. עלם ـ בשברי, *cum frangam vectes jugi eorum*; quod explicatur per liberationem a potestate opprimentium Babyloniorum, qui Judaeos in servitutem redegerunt. עבר generatim est apud Arabes *deprimere*, *subigere*, עַבֵּר בּ, *prementem subactionem in eo exercuit*, arab. in II. *in servitutem redegit*. Bene LXX: *των καταδουλωσαμενων αυτους*. V. 29. מטע לשם *Dathius* reddidit *plantarium saluberrimum*; male, quid enim locus, in quo plantatur, h. l. sit? מטע est *planta*, Jes. 61, 4. ubi terebinthi dicuntur מטע יהוה esse, *planta Jovae*, i. e. a Jova plantatae. Hinc מטע לשם est *planta celeberrima*, i. q. צמח צרק apud Jeremiam, proles celeberrima, cujus fama late per orbem propagabitur. — אסמי רעב, *absumti fame*. אסף, *absulit*, a radicibus cognatis סוף et סמה.

Ezech. 37, 21 - 28. Actione symbolica, duobus nimirum lignis in unum conjunctis, Ezechiel significavit, dissidia inter Israelitas et Judaeos cessatura, illosque in unum regnum, cui unicus rex, et quidem e familia davidica oriundus, praefectus sit, redigendos esse. Qua occasione simul in laudes illius aevi felicissimi, quod futurum erat, prolixe excurrit. Animi dissidentium conciliabuntur, Judaei et Israelitae rursus unum constituent populum, regi Davididi obtemperabunt, ab idolorum cultu abhorrebunt, leges divinas servabunt. Hanc vero morum emendationem commutatio sortis deterioris in meliorem subsequetur.

Favorem divinum sibi conciliabunt, terram suam in perpetuum possidebunt, frequentia locis accedet, reges davidici nunquam intercident. Summa et duratura prosperitate fruentur.

Non clare exprimitur, ab *uno* Davidide praesertim se novam rerum conversionem exspectare. Series regum davidicorum sibi ordine succedentium praedicitur. —

Qui complementum hujus prophetiae in historia quaerunt, valde haesitant, et, si interpretes sanioris consilii consulis, libenter concedunt, illud in futurum tempus conjiciendum esse. Nos invenimus in hujus generis descriptionibus poëticis, aurei seculi, quod nunquam apparuit, delineationem.

§. 87.

b) in vaticiniis Sachariae.

Jamjam Judaei e captivitate babylonica redierant, et terram a majoribus suis possessam iterum incoluerant. Verum enim vero tanta felicitas, quantam exspectaverant, multum aberat ut conspiceretur, ut ne quidem videretur fore. Propheta Sacharias spem conceptam confirmat, Josuam summum pontificem portendere Messiam mox venturum et templum exstructurum et exornaturum. Idem nomen Messiae imponit, ac Jeremias, Zemach nimirum, id autem novum addit, Messiam duplici dignitate, regia et sacerdotali, fore praeditum. Caeterum promissa repetit de magna Judaeorum in patriam reductorum felicitate. Sachar. 3, 8 - 10. 6, 12 - 15.

Sachar. 3, 8 - 10. Audi Josua, summe sacerdos, tu et socii tui coram te sedentes, nam viri prodigiosi sunt. Etenim adducam cultorem

meum Zemach. : : Quod autem lapidem ſpectat, quem coram Joſua poſueram, ſuper uno lapide ſeptem oculi vigilant. Ecce ego caelabo ſculpturam ejus, inquit Jova omnipotens, et iniquitatem hujus terrae uno die delebo. Tum alter alterum ſub vitem et ficum ſuam vocabit.

Sachar. 6, 12 - 15. Dic ei: Sic inquit Jova omnipotens: en erit vir, qui Zemach vocatur, ſuccreſcet, et templum Jovae exſtruet. Templum Jovae exſtruet, et gloriam conſequetur, et ſolio ſuo inſidens regnabit, ſimulque erit ſacerdos, junctimque utroque munere fungetur. Coronae vero iſtae Chelemo, Tobiae et Chenio, Zephaniae filio, monumenta ſint in templo Jovae. Longinqui venient, et aedificabunt templum Jovae. —

Ad §. 87. Sachar. 3, 8 - 10. Joſua, pontifex maximus, accuſatus abſolvebatur. Ille ad exſtruendum templum inſtigavit. Sed varia obſtabant impedimenta. Propterea promiſſionem accipit, Meſſiam venturum et templi ſtructuram perfecturum eſſe.

Sacharias itaque videtur adventum Meſſiae ſuo adhuc tempore exſpectaſſe, idque non absque idoneis rationibus. Prophetae enim, qui ante exilium et durante captivitate vaticinati ſunt, cum reditu Iſraelitarum et Judaeorum in Palaeſtinam Meſſiam comparaturum, et novam eamque maximam felicitatem populo ſuo paraturum eſſe, unanimiter praedixere. Fruſtra quidem ſperaverat, ſed tota promiſſio de Meſſia in ſenſu prophetico, i. e. judaico, eventu non comprobata eſt. —

אנשי מופת, *viri prodigii*. Optime hic locus illuſtratur ex Jeſ. 8, 18. ubi אנשי מופת — ii dicuntur, qui ſunt imagines, typi rerum futurarum. Joſua ergo et ſocii ejus portendebant illum, qui Zemach dicitur. Iſte Zemach ſacerdotali dignitate

praeditus erit, Cap. 6, 12. 13. Hinc per sacerdotes adumbrabatur.

כי הנני - צמח, *nam ecce ego adducturus sum cultorem meum Zemach.* Per *germen* intelligendum esse virum in magnam spem divinis sub auspiciis succrescentem, ex epitheto עבדי et Cap. 6, 12. 13. cognoscitur. Quis autem sit, dubitatur. Complures Serubabelem innui putarunt. Hoc si esset, Sacharias Serubabelem per errorem pro Messia habuisse videri posset. Sed quomodo de Serubabele noster vates pronunciare potuisset, illum dignitatem regiam et sacerdotalem conjunctam possessurum esse? Sin locum nostrum e parallelis locis Jer. Cap. 23, 5. 33, 15. explicamus, non diu haesitandum est, Messiam per Zemach describi. Ex Jeremia hoc Messiae cognomen notum fuit, quod ideo Sacharias repetit, eique attributa optime conveniunt, quae de Zemach in Cap. 6, 12-15. praedicantur. Paraphrastes Chaldaeus quoque et Rabbini consentiunt.

יהושע - האבן, *lapis*, Nominativ. absolut. *quod ad lapidem attinet, quem coram Josua posui.* Lapis angularis templi Josua praesente ponebatur, Esdr. 3, 9. *Super uno lapide sunt septem oculi.* Quid per hos significetur, apparet e Cap. 4, 10: haec septem significant oculos Jovae totam terram discurrentes. Anthropopathice Deo omnisicio et rerum humanarum provido moderatori oculi tribuuntur, Devt. 11, 12, et alibi. *Septem* autem additur, quia hic numerus fuit sanctus. Senf. Deus sua providentia hunc lapidem templi angularem custodiet. אני מפתח מחוקתו incido *sculpturam ejus, ich haue ihn zu.* מפתח, *incidit, insculpsit.* פתח, arab. *tergere, tergendo manu fricare, abstergere*, indeque *removere.* Terra expiabitur, peccata omnia remittentur.

Sachar. 6, 12 - 15. Actione symbolica Josua Messiam adumbrare debuit. Duae coronae aureae capiti ejus imponebantur, quibus duplex dignitas, regia et sacerdotalis, in Messia conjuncta, repraesentabatur. Ita in v. 9. et 10. legimus. Postea Jova me hunc in modum allocutus est: accipe ab exulibus, Cheldai, Tobija et Jedaja, et ingredere hoc die in domum Josiae, filii Zephaniae, qui e Babylonia venerunt; accipe, inquam, argentum et aurum, et fac coronas, easque impone capiti Josuae filii Jozadak, summi pontificis. Isti viri e Babylone venerunt, et dona sua a Judaeis babyloniis collata ad templi aedificationem attulerunt. Ad augendam fidem antiquiorum promissionum propheta ex allato metallo duas coronas conficit, et ipse mox explicationem addit, quid hae capiti Josuae impositae sibi velint. מתחתיו, *sub se efflorescet.* תחתיו pleonastice positum est, ut Am. 2, 9. 13. Jos. 5, 8. עצת שלום ביניהם, *consilium pacis erit inter utrumque*, regem et sacerdotem; i. e. Messias, uti olim Melchisedek, dignitate regia et sacerdotali insignis erit. In eo Sacharias ab antiquis prophetis differt, quod Messiam fore sacerdotem aeque ac regem enunciat. *Michael.* quidem haec ad Simonem applicat, pontificem et ethnarcham Judaeorum. Sed fata hujus viri Sachariam accurate praevidisse tam diu ante, quam extiterit, merito dubitatur, et cum nomen Zemach semel de Messia usurpatum fuerit, non absque necessitate ab hoc vocabuli usu recedendum est. Nescio etiam, quomodo hic templum Jovae non restauratum, sed recens aedificatum dici potuerit.

§. 88.

c) in vaticiniis Malachiae.

Messias quidem etiam in vaticiniis Malachiae prodit, sed aliis notis characteristicis describitur, ac in prioribus. Non Davidis proles, sed legatus divinus nominatur, ejus adventum praecedit Elias. Et cum comparebit, judicium habebit, et jus de impiis dicet, non de gentilibus solum, sed etiam de Judaeis. Levitas expiabit, ut Deo iterum grata sacrificia offerre possint, et ad templum suum veniet. Malach. 3, 1-4. Cap. 4, 1-6.

Malach. 3, 1-4. En mitto legatum meum, qui viam ante me parabit. Mox veniet ad templum suum Dominus, quem quaeritis, et legatus promissus, quo delectamini, ecce venit, inquit Jova omnipotens. Quis sustinebit diem adventus ejus? Et quis consistet, cum apparebit? Nam erit uti ignis conflatoris, et uti lixivium fullonum. Sedebit conflans et purgans argentum. Levitas purgabit, eosque liquabit, ut aurum et argentum, ut sint, qui Jovae ferta pie afferant. Grata erunt Jovae ferta Judaeae et Hierosolymae, sicut diebus antiquis et annis praeteritis.

Malach. 4, 1-6. Ecce enim dies venturus est ardens, uti clibanus, omnesque superbi et impii erunt stipula, quos dies venturus conflagrabit, inquit Jova omnipotens, ut nec radicem nec ramum illis relinquat.

Vobis autem, meis cultoribus, sol benignus exorietur, cujus alae medelam vobis afferent, exibitis et exsultabitis ut vituli saginati. Impios vero conculcabitis, erunt enim instar pulveris sub pedibus vestris, eo tempore, quo opus insigne exsequor, inquit Jova omnipotens.

Memores estote legis, jurium et institutorum, quae omnibus Israelitis per ministrum meum Mosen in monte Horeb dedi.

Ecce missurus sum vobis prophetam Eliam, antequam veniat dies Jovae magnus et terribilis. Is producet in vobis sensus animi et mores majoribus similes, ne veniam et funditus terram perdam.

Ad §. 88. Malach. 3, 1 - 4. Judaei injuriosis dictis Deum lacessiverunt, affirmantes, hominem improbum ei placere. Sin hoc minus sit, cur non puniat? Ad haec dicta blasphema responderetur, Deum missurum esse legatum diu promissum et cupide desideratum, qui severius in improbos animadvertat. Quis hic sit? nemo alius quam Messias. Etenim prophetae antecedentes in solatium Judaeorum afflictorum Messiam promiserant, et quidem eum exilio finito appariturum esse praedixerunt. Igitur tum, cum Malachias vaticinaretur, Messiam exspectarunt, ejusque adventum anxie desideraverunt. Ille vero etiam puritatem cultus levitici restituturus esse credebatur. Qua in re Malachias consentit, legatum, quem describit, improbos sublaturum et Levitas dicens purgaturum esse.

Dominus, quem quaeritis, veniet ad templum suum, et angelus, quo delectamini, i. e. Messias. Dominus templi vocatur, quia templum a Chaldaeis dirutum ab eo restauratum et exornatum iri putabant, Sachar. 6, 13. ברית; 1) *foedus*, indeque, quia in foedere pangendo aliquid alteri promittitur, 2) *promissio*, Numer. 18, 19. 2 Sam. 23, 5. מלאך הברית, *legatus promissus*.

Ab hoc non diversus est, de quo sub initium commat. 1. dicitur: *mitto legatum meum, qui viam ante me praeparabit.* Equidem hunc locum de

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Joanne Baptiſta, Chriſti prodromo, ex Matth. 3, 3; 11, 10. Marc. 1, 2 explicant. At non boni eſt interpretis, lucem Veteri Teſtamento e Novo inferre, nec probabile, vatem perſonam certam et tam remotam praedixiſſe. *Legatus, qui Deo viam praeparat*, eſt Meſſias. Efficiet, ut Dei majeſtas cognoſcatur. Ante regem vel principem iter facientem homines praemittuntur, qui vias muniant, et ea removeant, quae iter impedire poſſint. Talis viae munitor dicebatur προδρομος, cujus erat, reges et duces praeire, hiantia ſolidare, exſtantia complanare, per devia compendium facere, ne quid itineri obſtet, aut moram faciat, Jeſ. 40, 3-5.

Quidnam muneris autem Meſſiae erit, cum venturus eſt? Levitas ac ſacerdotes mundabit, et cultum religioſum reformabit. Hoc improbis hominibus et praeſtigiatoribus aliisque populi deceptoribus male cedet. Jamjam Deum maleficos non impune ferre fatebuntur. Propheta autem metaphoris utitur, quae a fullonibus maculas veſtium eluentibus et a conflatoribus argentum a ſcoriis purgantibus ſumtae ſunt. כאש מצרף, *ut ignis conflatoris*, qui liquefacit metalla, ut omne impurum ſecernatur. בריח, *lixivium*, *Lauge*, a ברר, *puram eſſe*. זקק, *liquavit*, *liquando purgavit*. בצדקה, *rite*. Tum, cum mores ſacerdotum erunt emendati, ſacrificia Deo iterum placebunt. —

Ex ſententia Malachiae Meſſias non debuit cultum leviticum abrogare, ſed purgare et reſtaurare.

Malach. 4, 1-6. Fruſtra eſſe, ſi Deum colant, queſti ſunt. Hoc non ita eſſe, ſed tempus venire, quo magnum ſit inter bonos et malos diſcrimen, propheta demonſtrat. Impii die judicii conflagrabunt, i. e. perdentur. *Radicem et ramum iis non*

relinquet, dictio proverbialis, qua ſummam et evidentem perniciem exprimit. שמש צדקה, *ſol beneficus*. Senſ. dies laeti vobis erunt. *Medicina erit in alis ejus*, i. e. radii ſolis vos illuſtrabunt et reficient. Hebraei Soli nec non Aurorae affingunt alas, Pſ. 139, 9. Aeſtus ſolis ſalutifer eſt. Inde fit, ut aeſtate, qua ſol fervet, pauciores homines, quam autumno letifero moriantur. — פרש arab. *ſuperbire*, *pabuli ubertate geſtire et laſcivire*. מרבק, *locus, ubi pecus ſaginatur*. Senſ. laeti agetis, et omnium rerum abundantia fruemini. עסס, *preſſit, calcavit, conculcavit*. עשה, *opus inſigne exſequi*, Pſ. 22, 32. —

En ego mitto vobis prophetam Eliam. Rabbini haec verba in ſenſu proprio accipiunt, Eliam Thisbitem ante adventum Meſſiae his terris reddendum eſſe. At prophetae poetice locuti ſunt. Igitur verba ejus intelligenda ſunt, alterum Eliam mittendum eſſe, i. e. prophetam Eliae virtute et zelo pro cauſſa Dei ſimillimum. Hic propheta videtur ipſe eſſe Meſſias, quem prophetam nominarunt, 2 Maccab. 14, 41. השיב diſſidia omnia auferet, animos omnium diſcordes conciliabit. De iis, qui ad Joannem Baptiſtam haec reſpicere autumant, vide, quae ad Malach. 3, 1-4. monuimus.

§. 89.

d) in vaticiniis Danielis.

In oraculis, quorum inſcriptio Danielem prodit autorem, iterum bis Meſſias comparet, et, ſicuti multi ante Danielem illum depinxere, imperium in Judaeos exercet. Sed longe alia et majora de Meſſia praedicantur, quam in praecedentibus vatibus. In nubibus coeli comparet, et

non homo eſt, ſed homini ſimilis, divinas et coeleſtes origines habere videtur. Ergo Davidem non amplius exſpectarunt, (familia davidica illo tempore humilior erat, quam ut ſperari potuerit, fore, ut magnus et potens ex ea ſurgat rex). Regnum ejus divinum in perpetuum durat, nec alii populo ſubjicitur; omnia potius regna ei ſervire et obedire debent. Dan. 2, 43. 44. Cap. 7, 13. 14. 26. 27.

Dan. 2, 43. 44. Tandem quod vidiſti ferrum cum luto mixtum, indicat reges connubiis conjunctionem eſſe quaeſituros, ſed non diu erunt alter alteri juncti, quemadmodum ferrum luto miſceri non poteſt. Temporibus enim iſtorum regum Deus ſtabiliet regnum ſuum nullo unquam tempore deſtruendum, nec alii populo ſubjiciendum. Hoc comminuet et conſumet iſta regna omnia, ipſum vero in perpetuum conſiſtet.

Dan. 7, 13. 14. Tum porro ſpectabatur per nocturna viſa aliquem homini ſimilem, qui in nubibus coeli veniebat. Is ad antiquum dierum appropinquabat, in cujus conſpectum etiam fuit adductus. Atque huic tanta poteſtas, dignitas et regnum dabatur, ut omnes omnium linguarum gentes et nationes eum colerent. Poteſtas ejus debebat eſſe aeterna, nunquam peritura, et regnum ejus nunquam deſtruendum.

Cap. 7, 26. 27. Tum judicium habebitur. Poteſtas ſua privabitur, funditusque exſcindetur et perdetur. Regia autem poteſtas et dignitas, quae ſolet eſſe regnorum omnium totius terrarum orbis, concedetur populo ſanctorum Altiſſimi. Hujus Dei altiſſimi regnum eſt aeternum, huic omnia regna ſervire debent et obedire.

Ad

Ad §. 89. Dan. 2, 43. 44. Rex Nebucadnezar habuit ſomnium. Videt nimirum coloſſum ex auro, argento, aere et luto fabricatum, tandemque a ſaxo magno de monte revulſo contritum. Cujus ſomnii ſenſum cum nemo expiſcaretur, Daniel inventus eſt, qui illud exponeret. Quatuor regna innuuntur, babylonicum, medo-perſicum, regnum Alexandri magni, et denique ejus ſucceſſorum. Hi cum inter ſe diviſi eſſent et diſcordes, connubiis conjunctionem animorum conciliare ſtuduerunt. At adeſt finis eorum a Deo praedeſtinatus. Stabiliet enim regnum perpetuo duraturum, nunquam deſtruendum, nulli alii populo ſubjiciendum, quod omnia illa regna comminuet. Hoc nullum aliud eſſe poteſt, quam regnum Meſſiae. Haud quidem me fugit, alios eſſe interpretes, qui hoc vaticinium exponant, Deum potentiſſimum Nebucadnezaris regnum in quarto ſucceſſore eſſe deſtructurum. Danielem regi oſtendiſſe, longe alia eventura eſſe in regni ſui ſucceſſoribus, quam ipſe vel ſperarat vel optarat. Verum enim vero quomodo dici potuiſſet, hoc novum regnum aeternum fore, et nunquam deſtruendum? Et, ſi קים accipiunt in ſenſu declarandi et demonſtrandi ſtabilitatem et firmitatem, hypotheſi ſuae verba accommodant. Denique locus Dan. 7, 13. 14. claro eſt indicio, noſtrum quoque locum recte de Meſſia explicari.

Dan. 7, 13. 14. In viſione nocturna Daniel quatuor animalia formidabilia oculis ſuis conſpexit, quibus Nebucadnezar, Cyrus, Alexander Magnus ejusque ſucceſſores adumbrabantur. Ex his rex erat grandiloquus, Antiochus Epiphanes, qui propter verba magniloqua occiſus eſt. Caeteri ejus ſocii poteſtate ſua quidem privati ſunt, at vita iis ad tempus prolongata eſt. — Haec dum fiebant, vidit in nubibus coeli aliquem homini

ſimilem. Quis ſit, accuratius exponitur. Ampliſſimum regnum a Deo, ad quem adductus eſt, accipit, perpetuo duraturum, in quo omnes gentes et nationes ei ſubjecti ſunt. Quis in hac deſcriptione non imaginem Meſſiae agnoſcit? Sed hoc memoratu dignum eſt, Meſſiam h. l. non deſcribi ut ſobolem Davidis, ſed perſonam ſublimiorem in nubibus coeli conſpicuam, divinas, ut videtur, origines habentem, alto e coelo ad terras demiſſam, et forma humana indutam. כבר אנש. Inde Meſſias vulgare nomen *vios του ανθρωπου*, quo in N. T. ſaepiſſime nominatur, traxiſſe videtur. עתיק יומין, *antiquus dierum*, Deus aeternus.

Simul ex hoc loco et magis adhuc e v. 27. patet, adventum Meſſiae ſtatim poſt deſtructum regnum ſyriacum, a quo tantam perſecutionem Judaei paſſi ſunt, eos exſpectaviſſe. Antiochus Epiphanes *poteſtate ſua privabitur*. Et poſtea *populo ſanctorum*, i. e. Judaeis, imperium totius terrarum orbis promittitur aeternum. (Forteſſe Simonem, principem maccabaeum, pro Meſſia habuerunt.)

§. 90.

Unde nomen Meſſiae ortum ſit.

Nomen Meſſiae eſt hebraicum, et *unctum* ſignificat. Quia autem ex antiqua conſuetudine reges Judaeorum et Iſraelitarum oleo inungebantur, et hoc modo ſolenniter ad munus ſuum inaugurabantur, מָשִׁיחַ idem eſt ac rex. Et omnino hoc nomen, quo dignitas Meſſiae denotatur, cum deſcriptionibus, quas de illo dedere prophetae, conſentit. Hoc enim illum tanquam regem e ſtirpe davidica prognatum, qui non ſolum Judaeos et Iſraelitas, ſed etiam exteras gentes ſibi ſubjici-

at, repraesentasse, satis a nobis demonstratum est. At nomen Messiae ei nuspiam dederunt. Illud serius quidem a Judaeis, sed ante Jesum natum diu impositum et e Psalmo secundo et Dan. 9, 25. falso ad Messiam tractis sumtum esse videtur.

Psalm. 2. Cur gentes tumultuantur, et gentes vana meditantur consilia? Reges terrae consistunt, et principes consilia ineunt contra Jovam et Messiam ejus. Rumpamus vincula eorum, et funes a nobis abjiciamus. Sedens in coelis ridet, Dominus ludibrio illos habet. Tum eos alloquitur in ira sua, et indignatione exasperatus eos perturbat: „Ego constitui regem meum in Sione, monte meo sancto. Decretum Jovae pronunciabo: Dixit ad me: tu es filius meus, hodie te genui. Roga a me, gentes tibi dabo in haereditatem tuam, et fines terrae in possessionem tuam. Clava ferrea confringes illos, sicut vas figuli in frusta comminues. — Nunc itaque reges prudenter agite, correptionem accipite, judices terrae. Pie Jovam reveremini. Filio oscula date, ne irascatur, et vos in via pereatis, ira enim ejus brevi exardescet. Beati omnes, qui ad illum confugiunt.

Dan. 9, 24-27. Septuaginta hebdomades annorum populo tuo et urbi tuae sanctae definitae sunt, ad culpam delendam, peccatum obsignandum, iniquitatem expiandam, et pretium gratiam adducendam, ad implendam visionem et effatum prophetae, et sanctuarium dedicandum. Scito autem, a promulgatione edicti de restauranda Hierosolyma usque ad regem victorem sunt septem hebdomades annorum. Post duas et sexa-

ginta hebdomades annorum urbs intus et extra reſtaurabitur, temporibus quidem afflictiſſimis. Poſt has duas et ſexaginta hebdomades annorum unctus excindetur et peribit, urbem et ſanctuarium populus veniens victor evertet, finis ejus erit cum inundatione, uſque ad finem belli erit vaſtatio repetita. Per unam hebdomadem annorum multi firmiter religionem tenebunt, media hebdomade abrogabit ſacrificium et fertum. Super extrema parte tecti erit abominabile (idolum) everſione dignum, dum plures caedes vaſtator accipiat.

Ad §. 90. Pſalm. 2. Argumentum hujus Pſalmi cuivis facile patet. Rex novus inauguratus fuit, in Sione ſedem ſuam habens regiam, cui exterae gentes ſubjectae fuerunt. Iſtis barbaris in mentem venit, jugum excutere cervicibus ſuis impoſitum, ſeſe poteſtati hujus regis armorum vi ſubtrahere, et in libertatem vindicare. Jam in eo erant, ut rebellarent, jam exercitus contraxerunt, et iter ingreſſi ſunt.

Poeta hos rebelles caſtra moventes animo videt, et quo ruant, quae irrita conſilia capiant, interrogat. Vana eſſe ſua molimina, et irrito conatu illos abire, Jovam enim eſſe regi Sionitico firmo praeſidio, a quo in Sione conſtitutus et pro filio ſuo declaratus ſit. Dehortatur itaque rebelles, ut a ſuo conſilio deſiſtant ſibi pernicioſiſſimo, et ut regis non provocent iram, monet.

Difficilior autem nunc eſt quaeſtio, quis ſit hic rex, contra quem gentes devictae et imperio ſuo ſubjectae rebellarunt? Utrum David, an unus ſucceſſorum ejus? an Meſſias? In quo nodo ſolvendo eruditi multi occupati valde impliciti ſunt, et diverſis pectore ſententias expromſerunt.

Plurimi hunc Psalmum ad Davidem autorem retulerunt, Petrus Act. 4, 25. Paulus Act. 13, 33. et Rabbini constanter hanc sententiam professi sunt. Et quidem Davidem hoc carmen cecinisse putant, cum Philistaeos adversus se arma moventes, postquam eum regem unctum esse audiissent, adgrederetur, multi existimant, 2 Sam. 5, 20. At huic explicationi obstat, quod Sion *mons Dei sanctus* appelletur, quo nomine postea demum ornabatur, cum sanctuarium eo translatum esset; et quod rex a Jova in Sione consecratus dicitur, id quod in Davidem minime quadrat, utpote Hebrone inauguratum. Accedit, quod hoc carmine gentes increpari videntur, imperio atque jurisdictioni Israelitarum jam subjectae, quae, cum novum regem electum esse audissent, in seditionem consurgerent, jugumque Israeliticum a se amoliri conarentur. Sed cum Davides imperium susciperet, nullae gentes exterae Israelitis paruerunt.

Salomonem esse, qui hoc carmine celebratur, probabilior est opinio. Is enim omnium, qui unquam regnum israeliticum tenuerunt, solus, postquam ad Gihonem fontem rex unctus atque renunciatus esset, regali pompa Sionem conscendebat, 1 Reg. 1, 45. Tum etiam oratio, quae commate septimo proponitur, ad Salomonem optime congruit. Narrat enim ibi aliquis, se appellatum quandoque esse Dei filium. Jam vero cum totus hic locus pendeat ex auctoritate alterius loci, qui 2 Sam. 7, 12. 13. commemoratur, ad hujus loci sententiam nostri interpretatio attemperanda videtur; ibi vero non Davides Dei filius dicitur, sed aliquis ex ejus posteris, cujus nomen nondum editum est. Cf. *Pauli* Memorabil. P. III. p. 66, et ejusdem Clavis Philinor. p. 3. 4.

Sin hoc est, Psalmus noster de Messia non agit, utpote cujus notionem Salomonis aevo nondum animis conceperant. At diu ante Jesum natum, fortasse ipsi prophetae posteriores illum de Messia intellexerunt, indeque suae de Messia descriptionis lineas sumserunt. Id certe constat, Apostolorum aetate, hunc Psalmum esse Messianum, non dubitatum esse. — Et Rabbini ab ea sententia non recessissent, nisi ut Christianis facilius resistere possent. Quodsi vero hunc Psalmum antiquitus de Messia explicuerunt, nomen ejus ex illo hausisse videntur. — —

Poeta barbaros videt concurrentes et arma moventes, et quasi admirabundus exclamat: *cur tumultuantur* etc. רגש, arab. *tonuit coelum et concussum est cum valido fragore.* Syro-Chald. בני רגש, βοανεργες Marc. 3, 17. *filii contra.* Hebraicum vocabulum solenne est de *strepitu turbae concurrentis.* הגה, arab. *aestuavit*, quod pulchre convenit verbo רגש omnibus locis, quibus occurrit, notionem *unui* habet. Ergo vertendum est: *nationes aestuabant inania consilia*, יחיתגו, *coeunt, conjurant* contra Jovam. Eodem sensu formulae συνιστασθαι επ' αλληλους, et συστηναι επι τινα apud Graecos usurpantur apud Xenoph. Cyrop. I, 1. 2. נוסדו, *deliberarunt.* Rad. יסד arab. est *ponere, supponere*, inde סוד pro יסוד; arab. دسد, *lectulus*, super quo interdiu decumbitur quietis caussa, *Diwan*, in quo et amici considere consebulantes solent, et consiliarii regum. Ab hoc סוד denominativum נוסד, *in Divan congregari, consultare, deliberare*, cf. *Mich.* Suppl. p. 1168. על יהוה ועל משיחו, *contra Jovam et regem ipsius.* Jova proprie fuit rex Israelitarum, a quo leges codicem acceperunt. Reges fuerunt Dei vicarii. Hinc qui contra regem rebellavit, Deo repugnavit, 1 Sam. 16, 1. Quia reges olei

unctione ad munus ſuum conſecrabantur, משיחים dicti ſunt, 1 Sam. 24, 7. —

Non ſolum hoſtes procul venientes conſpicit poeta, ſed et affectu abreptus, velut conſilia eorum audiſſet, ea exponit: *Abrumpamus* etc. quae verba ex uſu omnium linguarum innuunt, illos ſe imperio regis Iſraelitarum, cui ſubjecti fuere, ſubtrahere voluiſſe. — At praeſidio divino fretus certo ſperat fore, ut irrita fiant eorum conſilia. Deum iſtos hoſtes deturbaturum eſſe. *Sedens in coelo ridet, Dominus ſubſannat illos.* Vetus fuit opinio, Deum coelum inhabitare, quam etiam Homerus de Jove ſuo aliisque diis divulgavit. Jupiter ab eo vocatur αιθερα ναιων, et dii ſunt οι ολυμπια δωματα εχοντες. Quando homines vim extremum tentando ſummo Numini reſiſtere conantur, et ipſam veluti coeli arcem oppugnant, multum abeſt, ut Deus paveat, ut potius nihili faciat iſtos homunciones.

אז, *tum*, ſi ab incepto ſuo temerario non deſiſtunt, *illos alloquetur iratus.* בהל de *perturbatione animi* adhibetur Pſ. 6, 4. Eccleſ. 8, 3. 1 Sam. 28, 21.

Jam Deus loquens inducitur. ונסכתי, *ego conſtitui regem meum in monte meo ſancto Sion.* Rad. נסך, 1) *fudit, effudit*, 2) *unxit*, Prov. 8, 23. Hinc נָסִיךְ idem quod משיח Joſ. 13, 21. Ezech. 32, 30. Vocat autem Jova Salomonem ſuum regem, quia ſuo regnavit juſſu, 1 Sam. 16, 1. הר קדשי, *mons*, in quo majeſtas mea (כבוד יהוה, שכינה) ſedem habet. Ibi enim fuit tentorium ſacrum, et dein templum.

Breviſſime Jova locutus eſt, majeſtate ejus non dignum cenſet poeta, ut plura efferat verba. Orationem, quam Deus non abſolvit, rex perſequitur:

אספרה אל־חק יהוה, *decretum Jovae exponam*, אל multis idem quod את nota Accuſativi eſſe videtur, uti in locis Jud. 7, 25. Jer. 38, 19. At minus recte. Quare retenta particulae אל poteſtate melius vertitur: *narrabo ſecundum decretum Jovae*, i. e. fas ſit, totam rem declarare pluribus verbis, diſertius exponere juxta celebre illud Jehovae effatum, quod Davidi olim Nathanes renunciavit, 2 Sam. 7, 12 - 14. *Dixit mihi: tu es filius meus*. Filii Dei omnes dicebantur ſapientiae, virtutis et juſtitiae amantes. 1 Reg. 3, 5. 1 Sam. 16, 13. At praecipue reges *filii* Dei nominabantur, qui propter dignitatem ſuam hominibus divinas origines habere viſi ſunt. Sic apud Homerum διογενεις, διοτρεφεις vocantur. Sarpedon, Tleptolemi victor, Il. V. v. 673. Διος υιος audit, et Achilles Iliad. I, 273, eſt

σκηπτουχος βασιλευς, ᾧ τε Ζευς κυδος εδωκεν.

Salomo a Deo ipſo filius ſuus declaratus eſt, 2 Sam. 7, 14. אני היום ילדתיך, *ego hodie te genui*. Ex parallelismi legibus haec verba idem denotant, ac in priori membro illa אחת בני, Jer. 2, 27. Vocabulum בן inter alios uſus etiam de filio adoptivo adhibetur, ut Exod. 2, 10. בן לה׳ itaque eſt, quem Deus adoptavit. Ut בן *adoptivum filium* ſignificat, ita ילד eſt *adoptare*. Sic de adoptione peregrinorum in civitatem Pſ. 87, 4. 6. legitur. Jova erat Iſraelitarum dominus et rex. Adoptavit filium, cui regnum in Iſraelitas tribuit. Cf. *Ilgen* commentat. de notione filii Dei. היום, *hodie*, i. e. die inaugurationis regem te creo et publice declaro. Sic et principes romani olim diem, quo ab imperatore adoptati fuerant et imperio admoti, vocabant natalem adoptionis.

Filius tam dilectus preces ad Deum deferre poteſt, quas non ei negabit. *Poſce a me* etc. Senſ. ſi vel dominium in orbem terrarum peteres, repulſam non feres. אפסי ארץ, non de arctis Palaeſtinae, ſed de totius terrarum orbis finibus accipio, quod et uſus loquendi patitur, Pſ. 59, 14. Jeſ. 45, 22. et orationis poeticae vis et gravitas poſtulat. תרעם, *confringes, conteres eos*, a r. רעע, male LXX multique interpretes aliis punctis ſubjectis legerunt תרעם, ποιμανεις αυτους, *paſces* eos. Hoc enim non convenit verbo נפץ in altero membro poſito. שבט ברזל non *ſceptrum* eſt, quod ligneum, eburneum, aureum erat, non autem ferreum, et quo non ad percutiendos hoſtes utebantur; ſed *baculus ferreus*, i. e. clava ferrea aut ferro munita, qualem Herculi tribuere fabula ſolet. Ipſe Hercules Phoenicum Deus certe Davidi non ignotus, nec clavis pugnare inſuetum Orientalibus. Cf. *Michael.* Suppl. p. 2226. כלי יוצר, *vas figuli*. נפץ, *excuſſit, ut diſſiliret, alliſit*. עבדו את יהוה ביראה, *ſervite Deo cum timore*, i. e. reveremini Jovam, reverenter ei obſequium date. Eundem ſenſum exprimunt ſequentia verba ונילו ברעדה, *et in orbem rotamini cum tremore*, h. e. timete eum, religioſe eum colite. גול arab. eſt *gyrare, in orbem rotari*, indeque 1) *exſultare prae gaudio*, Jeſ. 65, 18. etc. 2) *timere*. Verba autem *timoris* ad *cultum* et *reverentiam* transferuntur. Vid. *Storr.* obſervatt. ad analog. et ſyntax. p. 38. נשקו בר, *oſculamini filium*. בר *filius* chald. et Syr., at Hebraeis infrequens eſt. Hinc a בחר melius vertitur *electus*. *Ilgen* in commentat. allegata: Notio eligendi verbo בחר vindicatur ex 1 Sam. 17, 8. 1 Chron. 7, 40. בר igitur ad formam רד, *miſer*, דל, *tenuis*, erit *electus*, cf. 2 Sam. 21, 6. 1 Reg. 11, 34. 2 Sam. 6, 21. Oſcula autem dum ei ſi-

gere jubentur, fidem obsequii hoc osculo dare debent. Fidei enim et obedientiae signum erat osculum, 1 Chron. 29, 24. Eodem osculo olim Homeritarum rex salutabatur, cujus genua puer triennis ad supplicium rapiendus in signum obsequii osculatus est. Cf. *Assemanni* bibl. Orient. P. I. p. 377.

ותאבדו (ב) דרך, *et pereatis in via*, quam ingressi estis, ut regem aggrediamini, et pugnam cum illo ineatis. חסה, *confugit in tutelam et clientelam*. De statu constructo verbi חוסי vid. *Schröderi* Syntax. reg. 13.

Dan. 9, 24 - 27. Locus intricatissimus, de quo adsunt tot sententiae, quot interpretes eum explicare ausi sunt. Qui illas omnes recensere et judicium de illis ferre velit, libellum conscribere debeat. At plerique in eo consentiunt, ipsosque veteres Rabbinos duces habent, afflictiones, quae adventum Messiae praecedunt, describi. Ipse Josephus non dubitavit, tempora calamitosa reipublicae judaicae per Romanos eversae a Daniele pluribus locis praedici. Et si Judaeis hoc Danielis effatum minus cum ea, quam de Messia conceperant, notione consentaneum videbatur, de duplice Messia, altero victore et salutis publicae autore, altero misero et afflicto cogitarunt. Hinc locum nostrum ansam dedisse, Messiae nomen יהושע imponendi, nullus dubito. At simul persuasus sum, hoc vaticinium, si caetera Danielis oracula praecedentia et consequentia conferuntur, minus recte ad Messiam trahi. Ego eam interpretationem adopto, quam *Illustr. Eichhornius* in biblioth. litterat. bibl. T. III. Sect. V. dedit.

Daniel in libro prophetiarum Jeremiae legerat, exilium babylonicum septuaginta annos duraturum esse. Itaque conversus ad Deum precatur, ut

promissis fidi fiet, urbem sanctam et templum restauret. Hisce precibus nondum finitis angelus Gabriel a Deo mittitur, qui sequentia Danieli aperiat.

Minus recte vob Jeremiam intelligere, qui septuaginta annos pro propriis ita dictis accipiant. Septuaginta hebdomades annorum, i. e. quadringentos et nonaginta annos significari, qui a Jeremiæ illud vaticinium quarto Jojakimi anno edente, et Nebucadnezare templi vastatore, usque ad Antiochum Epiphanem ita cabbalistice computantur.

Judaei ut septuaginta annos exilii, quod proprie tantum quinquaginta duos duravit annos, efficerent, a primo Nebucadnezaris imperii anno, qui in primum Jojakimi regis annum cadit, et in quo Jeremias vaticinium suum edidit, usque ad primum Cyri imperii annum numerant. Quia vero unus supra septuaginta annos elapsus est, numero rotundo septuaginta dicuntur. At illo tempore Judaea quidem a Babyloniis vexata, sed Hierosolyma nondum diruta erat. Inde ab eversione urbis ad Cyrum usque Judaeis restaurationem urbis et templi concedentem non plures quam quinquaginta duo anni praeterierunt.

Hos Daniel (seu potius, quisquis fuerit autor Maccabaeorum sub regno florens,) retrorsum numerat, et affirmat, ab initio exilii usque ad edictum Cyri etc. non, ut vulgo dicant, septuaginta, sed tantum septem hebdomades annorum, i. e. quadraginta novem annos (numero rotundo pro 52) effluxisse.

Quodsi a vastata urbe descendas, intra sexaginta duas hebdomades annorum, i. e. 434 annos, Hierosolymam quidem restauratum iri, at nondum adesse aevum aureum, calamitosa adhuc tempora Judaeos esse experturos.

Sic post 434 annos modo dictos pontifex maximus amovebitur a munere suo. Hoc in primum Antiochi Epiphanis imperii annum cadit, quo Oniam pontificem a provincia sua removit.

Hoc tempore urbs destruitur, sanctuarium a barbaro victore profanatur et evertitur, sed multi per totam hebdomadem annorum unam firmiter religionem suam tenent. Hi sunt sex anni, per quos Antiochus Epiphanes in Judaeos saevierat, propheta numero rotundo dicit septem annos.

Per dimidiam hebdomadem annorum sacrificia cessabunt. Intra hos sex annos persecutionis Antiochi 310 diebus sacra in templo non fecerunt Judaei, quia imago Jovis Olympii in suprema templi parte constituta, et altare pollutum fuerat.

Jam si computas 7 hebdomades annorum,
62
1

Summa septuaginta hebdomadum annorum prodit.

Consilium itaque auctoris fuit, ut demonstret, felicitatem novam et magnam a Deo Judaeis promissam non finito exilio babylonico, sed demum cessante crudelissima Antiochi persecutione sub Maccabaeorum imperio exspectandam esse. Quod ut assequeretur, miram i. e. cabbalisticam computationem fecit.

Praesidium accedit huic interpretationi e locis Danielis, Cap. 7, 8. 11. 20. 24. 25. Cap. 8, 9-14. 23-26. Cap. 10-12. Omnia haec oracula de Antiocho Epiphane agunt, quidni etiam caput nonum intermedium? Vide praecipue Cap. 7, 25. 12, 7. 11. Cap. 8, 14.

שבעים שבעים, *septuaginta hebdomades* annorum, סר *Jahrſiebende*. שבוע cum ימים, *hebdomas dierum*, Cap. 10, 2. cum שנים, quod ſupplendum eſt, *hebdomas annorum*. Inſueta quidem eſt haec dictio, at Daniel modo plane ſingulari ſeptuaginta exilii annos a Jeremia praedictos computare, iisque arcanum ſenſum ineſſe demonſtrare vult. Propterea non egemus emendatione textus a pluribus tentata, qui legendum putant: שבעים שבעים, *complures ſeptuaginta anni*. Univerſe non eſt a re alienum, obſervare, omnes has textus correctiones a viris eruditis in favorem hypotheſium ſuarum propoſitas eſſe, quibus carere poſſumus, quamprimum illis omiſſis prophetam ex ſe ipſo explicamus. נחתך, *definiti, decreti ſunt*. Rad. חתך, chald. *ſecuit*, decidit. Conſentiunt Theodot.: συνετμηθησαν, ex quo Arabs verbo ejusdem ſignificationis vertit: deciſi ſunt; et LXX: ἐκρίθησαν. De conſtructione verbi ſingular. cum Nomine plur. vid. *Schröderi* Syntax. p. 278. et Eccleſ. 2, 7.

כלא, *cohibere, claudere*. Phraſes 1) *cohibere precationem*, 2) *obſignare peccatum*, 3) *expiare iniquitatem*, ſunt ſynonymicae, et denotant *expiationem delictorum*. Septuaginta annorum hebdomades ex divino decreto effluere debent, uſque dum Judaei ſatis poenarum pro delictis ſuis dederint. ולהביא צדק עולמים, *et ad adducendam juſtitiam antiquam*. צדק לפני יהוה, *juſtus coram Jova* eſt, quem Deus inſontem declarat, et favore ſuo dignum cenſet. Itaque phraſis *adducere antiquam juſtitiam*, valet, facere, ut quis in gratiam cum Deo redeat, ut Deo iterum probetur. ולחתם חזון ונביא, Hendyadis: *ad obſignandam viſionem et prophetam*, i. e. ad prophetae Jeremiae vaticinium de duratione exilii per ſeptuaginta annos impleu-

dum. ולמשח קדש קדשים et ad dedicandum *sanctum sanctorum*, i. e. sanctiſſimum ſacrarium. Septuaginta hebdomades annorum nova templi dedicatione per Judam Maccabaeum facta finiebantur. משח, *ungere*, et propter olei uſum in conſecratione eſt quoque *conſecrare*.

מן מוצא דבר, *ab exitu verbi* de reducenda et aedificanda Hieroſolyma, i. e. a promulgatione edicti regis Cyri de reſtauranda Hieroſolyma. להשיב ex noto Hebraiſmo adverbialiter. עד משיח נגיד, *ad regem victorem* ſeu *tyrannum*. משיח, *rex*. נגיד ex arab. נגד, *vicit*, *ſuperavit*, eſt *victor*. נגיד, arab. *fortis*, *animoſus*. Edictum, de quo ſermo eſt, nullum aliud eſſe poteſt, quam Cyri, Eſr. 1, 1. coll. Jeſ. 45, 13. Daniel enim precatus eſt, ut effluxis Jeremiae annis ſeptuaginta exilium finiatur. Si nunc in reſponſione edicti alicujus, quod reditum in patriam Judaeis permittit, mentio fit, certe primum a Cyro promulgatum edictum innuitur.

Hanc epocham autem quadraginta novem annorum, quam conſtituit, ſi in temporibus, quae ſecuta ſunt, quaeris: in nullum regem illuſtrem incides, cui cognomen *rou* משיח נגיד convenit. At ſi retrogredimur, ad Nebucadnezarem et templi ac urbis Hieroſolymae deſtructionem devenimus, in quem haecce verba mire quadrant. Gabriel emendat interpretationem oraculi Jeremiae a Daniele factam: Jeremiam non de 70 annis, ſed annorum hebdomadibus intelligendum eſſe. Etenim non 70 annos ab urbe everſa, ſed tantum ſeptem hebdomades annorum effluxiſſe.

ושבעים - חרוץ, *at per ſexaginta duas hebdomades annorum urbs reſtaurabitur*. Urbs Hieroſolyma non per 490 annos diruta jacebit, ſed jam

intra 62 hebdomades annorum reſtaurabitur, ורצוץ עתים, licet haec tempora nondum ſint feliciſſima, ſed Judaeis adhuc multis cum afflictionibus erit conflictandum.

חשוב ונבנתה, *reſtaurabitur*. חשוב adverbialiter: חרוץ, *forum*, locus amplus ad portas, in quo judicia habebantur, et res venales exponebantur, Nehem. 13, 15. 22. חרוץ vocabulum dubiae ſignificationis. Theodot. τειχος vertebat, exque eo Vulg. muros. Cognatam ſententiam vetus latina exprimit: circumvallatio. *Kimchius* ex uſu linguae talmudicae *foſſam* reddit. Per *forum et foſſam* (munimenta) urbs interior et exterior exprimeretur. Cf. *Michael.* Suppl. p. 951. Cui hoc minus arridet, חרוץ reddat *judicium* a חרץ, *decidit*, 1 Reg. 20, 40. Joel. 3, 19. Hoc optime cum דחוק convenit: Forum et judicia reſtituentur. צוק, *angustia*.

V. 26. Poſt 62 hebdomades annorum יכרת משיח ואין לו, *Meſſias exſcindetur, et non erit*. Anno quadringenteſimo triceſimo quarto poſt urbem per Nebucadnezarem deſtructam Antiochus Epiphanes regnare coepit, et ſummum pontificem, *Oniam tertium* munere removit, cui non legitimi dati ſunt ſucceſſores. Summus ſacerdos autem recte משיח dici potuit, tum, quia pontifex oleo ad munus inaugurabatur, tum, quia illo tempore ſimul ſummus inter Judaeos erat magiſtratus. — עם נגיד הבא eſt ſubjectum orationis: *populus victor veniens*, exercitus regis Syriae וישחית העיר והקדש, *perdet, evertet et urbem et ſanctuarium*, 1 Maccab. 1, 20 - 25. 2 Maccab. 5, 11. 21. 22. וקצו בשטף, *et finis ejus erit cum inundatione*, i. e. finis coeptorum hujus populi tam devaſtans erit, quam inundatio. שטף eſt imago vaſtationum hoſtilium, Jeſ.

10, 22. etc. *Et usque ad finem belli erit* נחרצת שיממות, *excidium desolationum*, i. e. desolatio quam maxima, ex Hebraismo satis noto. נחרצה, *excidium a* חרץ, *excidit*, praeter h. l. extat Jes. 10, 23. 28, 22. Dan. 11, 36. בריה, *foedus*, quod Deus per Mosen cum Israelitis pepigit, promissiones et praecepta ejus, Exod. 19, 5. Devt. 4, 13. indeque religio mosaica. והגביר לרבים, *confortabit multos*. Lamed e Syriasmo Accusativum regit. Complures Judaei tempore crudelissimae persecutionis Antiochi Epiphanis eo firmius religioni patriae adhaeserunt, et nulla vi se ab illa abstrahi passi sunt, quo saevius illam abdicare jussi sunt. שבוע אחת, *per septem annos*. Ab anno Seleucidarum 143 - 148 persecutio duravit, quos sex annos Gabriel numero rotundo pro una hebdomade annorum ponit. *Per dimidiam hebdomadem annorum abrogabit sacrificia et ferta, et super tecto templi erit idolum abominabile.* Vid. 1 Maccab. 1, 44. et 54. Per tres annos et decem dies, (qui numero rotundo dicuntur tres anni, et dimidius annus,) sacra mosaica in templo fieri non licebat, et imago Jovis Olympii in summa templi parte constituta erat. וְעַל כָּנָף, sic enunciandum est, cum non adsit Genitivus, ad quem status constructus referatur. כנף autem est πτερυγιον του ἱερου, Matth. 4, 5., quod Josephus το ἱερον vocat. Sic Jes. 11, 12. כנף הארץ, *extremae terrae partes* sunt. שקוצים משמם, βδελυγμα ἐρημωσεως, idem quod Dan. 11, 31. שקוץ משומם, *abominatio*, et metonymice idolum abominabile, *eversione dignum*. ועד, *usque dum*, כלה ונחרצה, *consumtio et excidium*, i. e. desolatio quam maxima, יתך, (a r. נתך, *fluxit*,) *effundatur*, על שומם, *super vastantem*, i. e. haec tristis rerum facies manebit, usque dum exercitus Syrorum hostilis maximam caedem accigiat. Tum templum

templum ſanctum repurgabitur, ſacrificia iterum offerentur, et nova felicitatis lux Judaeis affulgebit.

§. 91.

Alia prophetarum oracula, quae aureum ſeculum nulla Meſſiae mentione injecta promittunt.

Alia adhuc ſuperſunt oracula, quae aureum ſeculum, nulla Meſſiae mentione injecta, promittunt. Exilio, aſſyriaco et babylonico, finito, Iſraelitas in patriam redituros eſſe, ibique felicissimos fore; idololatriae nuncium miſſuros et Jovam conſtanter culturos; alias quoque gentes ſe ad Jovae cultum adjuncturas; Deum autem de gentibus, a quibus Judaei oppreſſi ſunt, judicium habiturum, et de illis poenas ſumturum eſſe.

Meſſiam a Davide oriundum non commemorant, neſcimus, qua de cauſſa, ſive quia talem regem futurum non exſpectarunt, qualem alii prophetae adumbrarunt, ſive quia ſuppoſuerunt, Meſſiam, per quem aurea aetas exiſtat, ut ſatis notum reticeri poſſe. Joel Cap. 3. et 4. Obad. v. 15-21. Jeſ. 19, 18-24. Zephan. 3, 9-20. Sachar. Cap. 11-14. Jeſ. Cap. 65. et 66.

Joel Cap. 3. et 4. Poſtea effundam ſpiritum meum ſuper omnes homines, et filii veſtri ac filiae veſtrae prophetabunt, ſeniores ſomniabunt, juvenes viſiones habebunt. Etiam ſuper ſervos et ancillas illis diebus ſpiritum meum effundam. Prodigia edam in coelo et in terra, ſanguinem et ignem et columnas fumi. Sol obſcurabitur, et luna rubicunda erit, antequam dies veniat magnus et terribilis. Quicunque autem Jovam invocabit, incolumis erit. In monte Sionis enim

et Hierosolymae erunt evadentes, inquit Jova, et quos Jova praedestinavit, e numero erunt superstitum.

Illis diebus captivos Judaeos et Hierosolymitanos reducam, et colligam omnes gentes et in vallem Josaphati descendere faciam, et illic cum illis de populo mihi peculiari, Israelitis, disceptabo, quos inter gentes disperserunt, et terram meam diviserunt, de populo meo autem sortem jecerunt, puerum pro scorto dederunt, et puellam vino, quod potarunt, vendiderunt.

Quid vos ad me, Tyrus et Sidon, et totus Philistaeae tractus? An vos mihi injuriam rependitis? Sed si mihi ita vicem rependatis, ego celeriter retributionem vobis reddam. Quia argentum et aurum meum abstulistis, et thesauros meos praestantissimos in palatia vestra intulistis, Judaeos et Hierosolymitanos Graecis vendidistis, ut a finibus suis abalienarentur. En excitabo illos e loco, quo vendidistis, et reddam injuriam vestram. Vendam filios et filias vestras Judaeis, qui illos Sabaeis, genti longinquae, vendent. —

Proclamate hoc inter gentes, parate bellum, excitate fortes, accedant omnes bellatores. Cudite vomeres vestros in enses, et falces in lanceas. Infirmus dicat: ego fortis sum.

Congregamini et venite omnes gentes circumquaque, convenite, ibi Jova heroes tuos detrudet. Gentes excitabuntur et ascendent in vallem Josaphat, ibi enim sedebo ad judicium de gentibus finitimis habendum. — Immittite falcem, nam messis maturuit, venite, descendite, nam torcular plenum est, exuberant lacus, etenim magna fuit eorum malitia. Magna est turba in valle tribulae, dies enim Jovae prope adest in

valle tribulae. Sol et luna atrae ſunt, et ſtellae ſplendorem ſuum amittunt. Jova autem e Sione rugit, et ex Hieroſolyma edit vocem ſuam, coelum et terra contremiſcunt, Jova eſt refugium populo ſuo, et praeſidium Iſraelitis. Et cognoſcetis, me eſſe Jovam Deum veſtrum in Sione habitantem, monte meo ſancto. Hieroſolyma erit ſancta, et peregrini illam non permeabunt. Tum montes muſto ſtillabunt, et colles lacte ibunt, omnes Judaeae alvei aqua ſcatebunt, et fons e domo Jovae ortus vallem Sittim irrigabit. Aegyptus vaſtata, et Idumaea in ſolitudinem redigetur ob injuriam Judaeis illatam, ob ſanguinem, quem in terra eorum profuderunt. Judaea vero in perpetuum, et Hieroſolyma per omnes generationes habitabitur. Inſontem declarabo ſanguinem eorum, quem nondum inſontem declaraveram, Jova autem in Sione habitabit.

Obad. v. 15 - 21. Prope dies Jovae omnibus inſtat. Quemadmodum tu feciſti, tibi fiet, injuriam tibi rependam. Nam quemadmodum bibiſtis in monte meo ſancto, ſic omnes gentes jugiter bibent, vanae erunt, et in nihilum redigentur. In monte Sione autem erunt, qui evadant, iique Deo ſacri erunt, Jacobitae poſſeſſiones earum occupabunt. Jacobitae erunt ignis, Joſephitae flamma, Eſavitae autem ſtipula, quos comburent et conſument, nemo Eſavitarum evadet. Jova minatur.

In plaga meridionali poſſidebunt montem Eſavi, et in planitie regionem Philiſtaeorum, tractum Ephraimi et Samariae poſſidebunt, Benjaminitas cum Gileaditide. Exules iſmaelitici tenebunt, quicquid Cananaei poſſederunt uſque ad Sareptam, et exules hieroſolymitani, qui Sepha-

radi sunt, possidebunt oppida meridionalia. Heroes autem in monte Sione ascendent ad montem Esaviticum subigendum, et Jovae erit regnum.

Jes. 19, 18-24. Tum ara Jovae sacra erit in Aegypto, et statua Jovae sacra ad terminos ejus. Idque erit Jovae omnipotenti monumento et testimonio in terra Aegypti, quod, cum ejus opem adversus oppressores invocaverint, illis servatorem miserit et salutem dederit. Jova Aegypto cognitus erit, eumque sacrificiis et fertis colent, eique vota, quae vovebant, solvent. Aegyptum laesam Jova sanabit. Ad illum se convertent, Dein exoratus illos sanabit.

Tunc erit via strata ex Aegypto in Assyriam, et Assyrii in Aegyptum venient, et Aegyptii in Assyriam, et Aegyptii cum Assyriis Deum colent. Tunc Israelitae tertii adjuncti erunt Aegyptiis et Assyriis, et felicitas erit in terra, qua Jova illos beabit, dicens: felix sit populus meus aegyptius, et quem formavi, assyrius, et populus mihi peculiaris, israeliticus.

Zephan. 3, 9-20. At postea populis labium purum dabo, ut omnes Jovam invocent, et unanimiter colant. E regione, ultra fluvios Aethiopiae supplices mei a me dispersi munera mihi afferent. Tum non te pudebit operum tuorum, quibus a me defeciisti. Nam ex te removebo superbos de magnificentia tua, nec de monte meo sancto amplius gloriaberis. Superstitem in te faciam populum tenuem et humilem, in Jova confidentem. Reliqui Israelitae nil iniquitatis facient, mendacium non loquentur, nec lingua fraudulenta in ore eorum invenietur. Pascent, et nemine terrente cubabunt. Canta filia Sionis, jubilate Israelitae. laetare et exsulta ex toto animo Hierosolyma,

Jova poenas tuas aufert, removet hoſtem tuum. Rex Iſraelis, Jova, tecum eſt; malum non amplius videbis. Tum Hieroſolymae dicetur: noli timere; Sioni: manus tuae ne ſint remiſſae.

Jova Deus tuus in te erit fortis ſervator, maximopere de te laetabitur, reſtaurabit te amore ſuo, exſultabit de te cum cantico. — En ego perdam eos, qui te afflixerunt illo tempore, et ſervabo claudicantes, et diſperſos colligam, et celebres reddam in qualibet terra, in qua contemtui fuerant. Tum adducam vos, et colligam et celebres reddam inter omnes populos terrae, exilio veſtro finito vobis videntibus.

Sachar. 12, 1-10. Cap. 13, 1-7. Effatum Jovae de Iſraelitis. Jova inquit, expandens coelum et fundans terram, et ſpiritum hominis in eo formans: en ego reddo Hieroſolymam calicem vertiginis omnibus populis vicinis, Judaeam quoque infeſtabunt in obſidione Hieroſolymae. Eodem tempore Hieroſolymam reddam ſimilem lapidi ponderoſo omnibus gentibus; qui illum movent, concutiuntur. Convenient quidem omnes gentes terrae contra illam, at ego percutiam omnes equos ſtupore, et equites dementia. Super Judaeos autem oculos meos aperiam, et omnes equos gentium coecos reddam. Duces Judaeorum ſecum dicent; cives hieroſolymitani per Jovam omnipotentem Deum ſuum confortati ſunt. Reddam duces Judaeorum uti focum ignis inter ligna, et ut lampada ignis inter manipulos, et dextrorſum ac ſiniſtrorſum omnes gentes circumquaque conſument. Hieroſolyma porro inhabitabitur. Jova tentoria Judaeae uti olim tuebitur, ne ſplendor familiae Davidis et civium Hieroſolymae ſeſe efferat contra Judaeam. Jova

proteget cives hierosolymitanos, infirmus ex iis erit Davidi similis, familia Davidis autem Deo, et angelo Jovae, dum illis praeit. Exscindam tum omnes gentes contra Hierosolymam convenientes.

Cap. 13, 1-6. Tum fons erit apertus familiae Davidis et civibus hierosolymitanis ad expiationem et expurgationem peccatorum. Eo tempore delebo nomina idolorum e terra, ut non amplius commemorentur. Prophetas etiam et spiritum impurum e terra auferam. Et si quis vaticinatus fuerit, pater et mater, parentes ejus supplicio dignum illum judicabunt, quia falsa in nomine Jovae elocutus sit. Immo ipsum pater et mater, parentes ejus, confodient, si vaticinetur. Illo tempore prophetae erubescent de visionibus suis et vaticiniis, nec induent pallium villosum, ut falsa oracula edant. Neque quisquam se prophetam jactabit. Agricola sum, inquiet, dominus me possedit a pueritia mea. Et si quis interrogabit, unde has plagas acceperit, se in domo amicorum suorum illis affectum esse respondebit.

Sachar. 13, 7-9. Cap. 14. tot. Ensis excitare contra pastorem meum et contra virum mihi proximum, inquit Jova omnipotens. Feri pastorem, ut oves dispergantur, et convertam manum meam ad parvulos. In tota terra duae partes excisae exspirabunt, tertia erit residua. Tertiam partem igni immittam, et explorabo, sicut argentum aurumve exploratur. Haec me invocabit, et ego eam exaudiam. Populum meum vocabo illam, et illa me vocabit Jovam Deum suum.

Dies Jovae venit, quo praeda tua in te dividetur. Omnes gentes ad Hierosolymam oppugnandam colligam. Urbs capietur, domus diri-

pientur, mulieres vitiabuntur. Dimidia pars urbis in exilium abibit, et reliquus populus ex urbe non exſtirpabitur.

Jova autem prodibit ad belligerandum contra has gentes, uti olim in bello dimicabat. Tum pedes ejus in monte olivarum ſtabunt, qui eſt Hieroſolymae ex adverſo ab oriente. Mons olivarum diffindetur, dimidia pars orientem et occidentem verſus, magna vallis exiſtet, dimidia pars montis ſeptentrionem, et dimidia meridiem verſus recedet. Et fugietis in vallem montium, nam vallis montium pertinget uſque ad Aſelam, fugietis, quemadmodum fugiſtis a terrae motu tempore Uſiae regis Judae; et veniet Jova Deus meus, omnes ſancti cum eo.

Tunc non erit lux, ſed frigus et gelu. Et hoc erit per diem unum, quem Jova tantum novit, neque dies, neque nox erit, veſperi autem erit lux.

Tunc aquae perennes Hieroſolyma exibunt, dimidia earum pars ad mare orientale, et dimidia ad occidentale fluet. Per aeſtatem et hiemem fluent. Jova erit rex in tota terra, Jova unus erit, hoc nomine tantum notus. Tota terra convertetur in locum campeſtrem, a Gibea ad Rimmon a parte meridionali Hieroſolymae. Exaltabitur et habitabitur a porta Benjaminis ad locum portae veteris, uſque ad portam angulorum; et a turri Hananaelis ad torcularia regis uſque. Incolent eam, nec novam caedem timebunt; tuto Hieroſolyma inhabitabitur. Et haec erit plaga, qua Jova afficiet omnes populos militantes contra Hieroſolymam. Caro eorum contabeſcet; qui paulo ante validus erat, hujus oculi in foraminibus

ſuis contabeſcent, et lingua in ore ejus contabeſcet.

Jova iis magnum terrorem immittet, unus manum alterius prehendet, manus invicem conferent. Judaea quoque Hieroſolymis pugnabit, opes omnium gentium in circuitu, aurum et argentum, et multae veſtes congerentur. — Eadem plaga afficientur equi, muli, cameli, aſini et omnia jumenta in his caſtris.

Quicunque autem ex hisce gentibus remanent, contra Hieroſolymam venientibus, quotannis aſcendent ad adorandum regem Jovam omnipotentem, et celebrandum feſtum tabernaculorum. Qui vero non aſcendet e familiis terrae Hieroſolymam, ad adorandum regem Jovam omnipotentem, ſuper illos imber non depluet. Si familia Aegypti non aſcendet, nec veniet, eadem plaga afficientur, qua Jova gentes afficiet non aſcendentes ad celebrandum feſtum tabernaculorum. Haec erit poena Aegypti omniumque gentium ad celebrandum feſtum tabernaculorum non aſcendentium. Tum tintinnabulis equorum inſcriptum erit: Jovae ſacrum. Ollae in templo erunt ſicut phialae coram altari. Omnis olla hieroſolymitana et judaica, ſacra erit Jovae omnipotenti, et omnes ſacrificaturi eas ſument, et in illis coquent, nec amplius erit Cananaeus in templo Jovae, inquit Jova.

Jeſ. Cap. 65. et 66. Ego quaeror ab iis, qui me non deſiderarunt, invenior ab illis, qui me non quaeſiverunt. Ego dico, en ego adſum, ego adſum, ad gentem, quae me non invocavit. —

Expandebam quotidie manum meam ad gentem refractariam, via mala incedentem pro ſuo arbitrio; ad populum me quotidie irritantem, in

tectis sacrificantem, et super lateribus suffientem; sedentem in sepulcris, et in cavernis pernoctantem, carne suilla vescentem, et in vasis suis εἰδωλοθυτον ferentem, ac dicentem: apage, noli ad me accedere, ego enim te sanctior sum. Contra hos ira mea quam maxime inflammata est. En memoriae meae inscriptum est, ego non tacebo. Si rependam, in sinum eorum rependam vestras et majorum vestrorum iniquitates, inquit Jova; qui in montibus suffiverunt, et super collibus me ignominia affecerunt, poenas promeritas ab iis exigam. —

Sic inquit Jova: quemadmodum, si mustum in botro invenitur, aliquis dicit: ne perdas illud, ineſt ei donum Dei: ita ego propter cultores meos non omnes perdam. Ex Jacobitis educam prolem, et e Judaeis heredes montium meorum. Electi mei terram possidebunt, et cultores mei ibi habitabunt. Sarone greges pascent, et in valle Achor armenta cubabunt populo meo me quaerenti. —

Vos autem me oblivisscentes in monte meo sancto, fortunae mensam parantes, et fato libantes, vos gladio destino, omnes ad mactationem incurvabimini, quia, cum vocarem, non respondistis, cum loquerer, non audivistis, sed coram me male egistis, et id, quo non delector, patrastis. Propterea sic inquit Dominus Jova: en cultores mei comedent, vos autem esurietis; cultores mei bibent, vos sitietis; cultores mei laetabuntur, vos pudefietis. Cultores mei prae animi laetitia canent, vos prae animi moerore clamabitis, et mente contrita ejulabitis.

Nomen vestrum electis meis in jurisjurandi formulam relinquetis: ita Dominus Jova te occidet, et cultores suos alio nomine insignibit. Qui

ſibi fauſta precabitur in terra, per Deum veracem fauſta ſibi apprecabitur. Et qui in terra jurabit, per Deum veracem jurabit. Nam mala priſtina oblivioni tradentur, et ab oculis meis abſcondentur. Ecce enim ego creo coelum novum et terram novam. Praeterita non commemorabuntur, nec animum ſubibunt. Sed gaudebunt et laetabuntur ſemper ob ea, quae ego creo. Nam ego efficiam, ut Hieroſolyma gaudeat, et populus meus laetitia afficiatur. Ego ipſe de Hieroſolyma gaudebo, et de populo meo laetabor. Nec fletus, nec querelae ibi audientur. Ibi non erit infans paucorum dierum, neque ſenex, qui non ſummam aetatem attingat. Nam centum annos natus morietur puer, et qui ante centum annos moritur, poena divina ſublatus videbitur. Domos, quas aedificarunt, inhabitabunt; vinearum, quas plantarunt, fructibus veſcentur. Non alius inhabitabit, quod ſtruxerunt; non alius veſcetur, quod plantarunt, ſed aetatem arborum populus meus attinget, et cum operibus ſuis electi mei veteraſcent. Non fruſtra laborabunt, neque liberos gignent mox perituros. Nam erunt a Jova fortunati, et cum ipſis poſteri eorum. Priusquam me invocant, ego illos exaudiam; cum adhuc loquuntur, aures praebebo. Lupus et agnus una paſcent, leo ſicut bos ſtramine veſcetur, ſerpentes pulverem lambent. Nec nocebunt, nec damnum inferent in monte meo ſancto, inquit Jova.

Cap. 66. Sic inquit Jova: coelum eſt ſolium meum, et terra ſcabellum pedum meorum. Quae eſt domus, quam mihi vultis aedificare, et locus quietis meae? Haec omnia manus mea fecit, ut exiſterent, i. J. Ad quem reſpicio? ad afflictum et ſpiritu contritum, et verbum meum reverentem.

Qui (absque hoc sensu recto) bovem immolat, est ac si hominem occideret. Qui agnum mactat, ac si canem obtruncaret. Qui ferta offert, ac si sanguinem porcinum libaret. Qui thus adolet, ac si idolum adoraret. Sed isti hanc agendi rationem sunt secuti, et in detestandis suis factis delectati sunt. Propterea ego quoque illis illudam, et quod timebant, adducam; quia, cum vocarem, nemo responderet, cum loquerer, non audirent, sed male coram me egerunt, et, quod mihi displicet, secuti sunt. —

Audite verbum Jovae vos, qui effatum ejus reveremini: dicunt quidem fratres vestri, vos odio prosequentes, et propter nomen meum expellentes: sic Jova honoratur. Sed nos vos laetos videbimus, quando illi pudore suffundentur.

Vox tumultus ex urbe, vox e templo, vox Jovae hostibus suis rependentis. Priusquam Sion parturiit, peperit, priusquam partus dolores sensit, marem exclusit. Quis talia audivit et vidit, num terra uno die in lucem editur, an tota natio una vice? Vix Sion parturiit, filios suos peperit. Egone, qui usque ad partum produco, parere nequeam? i. J. Egone, qui parere possum, liberos prohibeam? inquit Deus tuus.

Gaudete de Hierosolyma, et laetamini de illa omnes, qui illam amatis. Gaudete cum illa omnes, qui illam lugebatis, quia ad satietatem sugetis ex mammis consolationum suarum, exsugetis et vos oblectabitis ex splendore dignitatis suae.

Nam sic inquit Jova: En ego perducam ad illam ceu fluvium felicitatem, et uti torrentem inundantem opes gentium. Sugetis, ad latus portabimini, et super genibus mulcebimini. Uti

virum mater ſolatur; ita ego vos conſolabor, Hieroſolymae ſolatium accipietis. Hoc cum viſuri ſitis, animus veſter gaudebit, oſſa uti gramen revireſcent, et vis Jovae cultoribus ſuis, ira hoſtibus erit conſpicua.

Nam ecce cum igne veniet, et turbinis inſtar erunt curruſ ejus, ut magna ira rependat, et flammis ignis increpet. Jova igne et gladio omnes homines puniet, et multi erunt a Jova confoſſi. Qui ſemet conſecrant et mundant in hucis poſt Achadum in medio, carne ſuilla veſcuntur, et rebus foedis, nec non moribus agreſtibus, hi ſimul perdentur, inquit Jova.

Ego verò opera et conſilia eorum. —

Prope adeſt tempus, ut colligam omnes gentes et nationes, quae venient, et majeſtatem meam conſpicient. Signo inter illos erecto mittam ex illis ſervatos ad gentes Tarteſſum, Phulum et Ludum, ſagittarios Thubalem et Javanem, terras remotiſſimas, quae nec de me audiverunt, nec majeſtatem meam viderunt, ut hanc inter gentes annuncient. Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus dona Jovae in equis et curribus, eſſedis, mulis et lectiis ad montem meum ſanctum, Hieroſolymam, inquit Jova, quemadmodum Iſraelitae adducunt dona in vaſis mundis in domum Jovae. Etiam ex illis ſumam ſacerdotes, Levitas, inquit Jova. Nam quemadmodum novi coeli et nova terra, quam condo, coram me durant, inquit Jova, ita genus et nomen veſtrum durabit. Singulis menſibus et ſabbatis omnes homines venient ad adorandum coram me, inquit Jova. — Exibunt autem et videbunt cadavera praevaricantium. Nam vermis eorum non mo-

situr, et ignis non extinguitur, eruntque omnibus hominibus nauseae.

Ad §. 91. Joel Cap. 3. et 4. Post descriptionem vastationis terrae per locustarum agmen illatae Joel ad promissionem felicioris aevi pergit, in quo redemtionem Judaeorum exulum aut captivorum et a Tyriis pro servis venditorum praenunciat. Tunc non singulares homines, sed omnes et singuli simul, seniores et juniores, mares et foeminae, Numine divino afflati erunt, somnia divina aut visiones habebunt. Summa erit terrae fertilitas. De gentibus autem, a quibus Judaei violati et vexati sunt, Jova vindictam sumet, et delictorum poenas ab illis exiget. —

Iisdem fere imaginibus alii prophetae *seculum Messianum* depinxerunt, paucis mutatis. Hoc tantum intercedit discrimen, quod nostro loco Messiae persona omissa est, At Judaei posteriores non hoc solum oraculum, sed et alia hujus generis de Messia explicuere, indeque et beneficiorum et functionum Messiae summam definivere.

Effundam Spiritum meum etc. Haec est aurea aetas, in qua non prophetae, sed homines omnis conditionis et aetatis in consortium divinum admissi a Jova erunt edocti. Noli quaerere, quando hoc factum sit. Qui hisce vaticiniis exempla ex historia substernere, et illorum complementum ostendere cupit, poetas, et inprimis hebraeos, nondum interpretari didicit. Hisce vividis descriptionibus nil aliud indicatur, quam haec, felicitatem fore magnam, ejusque partem non exiguam fore cognitionem Dei perfectiorem. בכאו ירושלם ירוא exprimunt varia revelationis divinae, quae statuerunt, ganeps, inspirationem pre-

phetarum, somnia, visiones nocturnas divinitus phantasiae obversatas. *Effundere* est largiter dare.

Sed longe alia fata gentibus profanis eventura sunt, quae Judaeos male tractarunt et molestiis affecerunt. Dies fatalis illis instans leviter quidem in hoc capite stringitur, at uberius in sequenti describitur. V. 3. 4. prodigia existunt in coelo, sol obscuratur etc. Metaphoricae hae sunt locutiones a terrae motu desumtae. Fumus, terra concussa, in aëra ascendit, solem obducens, qui inde rubicundum et quasi igneum colorem accipit. Meteora ignita exoriuntur, procellaeque formidabiles. Sens. Regna gentium externarum magnam rerum conversionem experientur. יום־ונורא, *tempus*, quo Deus poenas ab iis repetet severiores. פליטה, *evasio*, ii, qui evadunt. חרץ, *definivit*, *designavit*, Am. 7, 4. 11. Recte Chald. quos Deus destinavit.

Cap. 4. Hoc tempore Judaei captivi e regionibus, quibuscunque fuerint, (nam de exilio assyriaco aut babylonio non est sermo,) revertentur. Statim autem propheta redit ad poenas de gentibus sumendas, quas uberius exponit. Jova judex sedebit in valle Josaphat, in qua omnes gentes convenient, ut condemnationem suam audiant.

Quis non sentit, haec esse poetice dicta, et sensum sub his latentem esse: Deum gentes, quae Judaeos immitius tractarint, Tyrios, Sidonios, Philistaeos aliosque poenis affecturum esse?

Quia autem multi prophetas semper magis legerunt, ut dogmata inde eruerent, haec ad judicium extremum in fine mundi a Messia habendum transtulerunt.

Vallis Josaphat in topographia Palaestinae non quaerenda est, siquidem est nomen fictum et sym-

bolicum, in quo propriae ejus poteſtatis ratio habenda eſt: *Jova judicabit.* — ידו גורל, *jecerunt ſortem.* Mos fuit antiquis, captivos ſorte dividendi, Nah. 3, 10. Multa exempla occurrunt apud Homerum. הגמול - משלמים, *num injuriam mihi rependere vultis?* Num ego vobis mali quid intuli, ut mihi rependatis? *Aurum meum*, etc. quod ut praedam ſingulis abſtuliſtis. בני יהונים Graeci, υἱοὶ Ἀχαιῶν. Non improbabile eſt, Phoenicios Graecis captivos Judaeos pro ſervis vendidiſſe. שבאים, *Sabaei*, gens arabica, quam propheta pro qualibet gente longinqua nominat.

V. 9. etc. Omnes ubique populi provocantur, ut arma parent, et vires ſuas tentent. Irrita fore eorum molimina, Deum enim etiam fortiſſimos condemnaturum et proſtraturum eſſe. קדש מלחמה, *ſacris ritibus bellum parare.* עורו, *congregamini*, LXX, Syr. Chald. r. arab. עוש, *circumvivit.*

V. 13. Iſti populi ad poenam ipſis inferendam maturi ſunt. Hic ſenſus duobus tropis ſignificatur, falcem meſſi matureſcenti immittendam, et torcular uvis plenum eſſe. שוף arab. *exundare.* — המונים המונים, *turbae turbae;* geminatione ſubſtantivi indicatur multitudo, magnae et multae turbae, cf. *Schroed.* Syntax. p. 227. בעמק חרוץ, *in valle tribulae acutae*, i. e. in qua frumentum collectum tribula triturabatur. Meſſis mentio praeceſſerat, cui ingens hoſtium ſtrages comparabatur. Meſſem recte ſequitur tritura, quae hic ut ſaepe alias eſt imago proculcationis hoſtium victorum, vid. *Mich.* Suppl. p. 949. LXX. ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δίκης, Theod. τῆς κρίσεως. — *Sol et luna* etc. magna tempeſtas oritur, coelum nubibus atris obducitur, Jova tonat, ut coelum et terra contremiſcant. Senſ. Deus gentibus a ſe puniendis erit exitio, populo autem ſuo erit praeſidio.

V. 17. Profanae gentes adhuc terram ſanctam intrarunt et violenter occuparunt. Futuro tempore ne pedem quidem ei infigent.

V. 18. Tellus largas fruges proferet, et vaccae multum lactis praebebunt. Hoc poetice ſic exprimitur, ac ſi montes muſto, colles lacte fluerent. Terra vero non fertilis eſſe poteſt, niſi pluviis humectetur, aut rivis irrigetur. Rari vero ſunt imbres in Palaeſtina, ſolum circa Hieroſolymam eſt aridum. Ut igitur hocce fertilitatis impedimentum removeatur, poetice Joel fingit, fontem in poſterum e templo ſcaturire, *et vallem Sittim irrigare*. Vallis Sittim eſt prope Jordanem in Moabitide ita dicta ab *acaciis*, שטה, Num. 25, 1. Mich. 6, 5. Videtur autem h. l. pro locis ſiticuloſis poſita eſſe.

V. 19. Alii adhuc Judaeorum hoſtes producuntur, praeter illos in v. 4. citatos, Aegyptii et Idumaei, qui inde ab antiquo tempore hoſtilem animum erga Iſraelitarum nomen geſſerant. Quorum terra, cum Deus injuriae Iſraelitis illatae vindictam expetet, devaſtabitur.

V. 20. Judaea autem et Hieroſolyma, metropolis, nunc per omnia ſecula manebit ſarta tectaque. נקה, *inſontem declarare*. Senſ. Declarabo facto, ſanguinem Iſraelitarum inſontem profuſum eſſe, quod hactenus nondum feci.

Obad. v. 15 - 21. Idumaei, cum Judaea a Chaldaeis capta, et Hieroſolyma expugnata eſſet, hoſtiliter Judaeos inſectati ſunt. Propter hunc infenſum animum, quem oſtenderunt, Obadias illis poenas divinas denunciat, Judaeis autem meliora tempora promittit, quibus non ſolum Palaeſtinam recuperabunt, ſed etiam terminos illius proferent, Idumaeos in poteſtatem ſuam redigent, et Jova Hieroſolymis regnabit.

Hoc

Hoc est aevum, quo juxta alios prophetas Messias prodire debuit. At Obadias brevibus se expediens non Messiae, sed theocratiae tantum mentionem facit.

יום יהוה, *dies fatalis*, tempus judiciorum divinorum instat omnibus gentibus. Chaldaei multas asiaticas nationes oppressérunt. *Quemadmodum vos bibistis* etc. Est metaphora sacris vatibus usitatissima; ut, quando gentes calicem manu Jovae ipsis porrectum bibere dicunt, calamitates indicentur divinitus immissae. Hinc sensus est: quemadmodum Judaeorum respublica perfumdata est, ita et vos in nihilum redigemini. Eadem mala vobis accident. חמיד, *indesinenter*. לעו, *vani erunt*, a r. לעה, arab. *irritus*, *frustra fuit*. Idem quod היו כלוא.

V. 17. Immo pejora aliis gentibus accident, quam Judaeis. Illae enim penitus exstirpabuntur, Judaei autem plures conservabuntur, per quos sensim ipsa natio pristino splendori restituetur. מורשיהם, *possessiones suas*, i. e. Palaestinae provincias. בית יוסף, *regnum decem tribuum*. Omnes Israelitae igni comparantur lambenti, et quicquid in circuitu est, corripienti et comburenti. Illi vicinos Idumaeos adgredientur et subigent, quin exstirpabunt.

Hoc vaticinium non ad subactionem Idumaeorum per Hyrcanum trahendum est, quam Obadias non praevidisse videtur, sed animus ejus Idumaeis infensus interitum eorum exoptat et praesagit.

וירשו הנגב haec verba dupliciter vertuntur, vel ut הנגב sit Nominativus: *meridies possidebit* etc. vel ut sit Accusativus, את autem *cum* denotet. Nam ירשו verbum plurale ad בית יוסף referendum

esse, uti דלקו, אכלו in commat. praecedenti. Hoc recte monetur, sed הנגב et השפלה ego hoc sensu accipio: *meridiem versus*, *planitiem versus*. Provincia Judaea nimirum in tres partes divisa erat, in montanam, meridionalem, cui Idumaea erat contermina, et planitiem ad occasum Solis versus, ubi in proximo Philistaei habitarunt. גלת החל, *captivitas copiae*, i. e. multi, copiosi exules. חיל, *copiae*. Multi illi Israelitarum exules, suppl. ירשו, *possidebunt*, *quicquid Cananaei usque ad Sareptam tenuerunt*. Sarepta fuit oppidum Cananaeorum medio inter Tyrum et Sidonem intervallo, Joseph. Antiq. L. 7, c. 7. *Et captivi hierosolymitani, qui sunt Sepharadi.* Nescimus, ubi hoc oppidum situm fuerit, ut babylonicae ditionis fuisse ex hoc loco satis apertum est. מושיעים, *servatores*, victores. לשפט, *ad judicandum*, i. e. puniendum, subigendum.

Jes. 19, 18-24. In cap. 19. oraculum contra Aegyptum continetur, cui propheta mala ominatur. Eo tempore, quo Aegyptii in angustias redacti erunt, plures illorum in Palaestinam refugient, ut ibi asylum habeant, eaque re commoti verum Deum cognoscent, et cultu religioso prosequentur. Et non Aegyptii solum, sed Assyrii quoque Jovam pie colent, et religionem Israelitarum amplectentur.

In hoc vaticinio Judaei forte laeta fruuntur. Ipsi sunt incolumes et ab hoste intacti, quia terra eorum aliis refugio esse potest. Et religio judaica propagatur, pagani aeque ac Judaei agnoscunt, non esse alium verum Deum praeter Jovam, ei aram struunt, in eaque sacra faciunt.

Alii prophetae hanc feliciorem rerum mutationem exspectant, quando Messias venturus sit.

At de hoc in noſtro vaticinio nullum eſt veſtigium.

Nonnulli interpretes ad templum ab Onia ſacerdote in Aegypto exſtructum vaticinium noſtrum referunt, quia ara Jovae ſacra ibi ſtruenda dicitur. Sed certum quidem eſt, Oniae hoc oraculum dediſſe anſam, templum aegyptiacum ſtruendi. At minime probari poteſt, prophetam ad hoc reſpexiſſe. Etenim ſi verba in v. 19. et 21. in ſenſu proprio accipienda ſint, non eſt, cur in v. 23. 24. a ſenſu proprio recedamus. Si vates aram et ſtatuam Jovae ſacram in Aegypto erigendam eſſe, in quo altari ſacrificia offerantur, praedicit: hoc innuitur, religionem moſaicam incrementa capturam, eamque Aegyptios et Aſſyrios amplexuros eſſe.

V. 20. רב a r. ריב, *litigator*, vindex. ועבדו ſc. יהוה, *colent Jovam*, זבח (ב), *ſacrificiis*. ורפוא ſc. יְרַפֵּא, *ſanando ſanabit*. — *Via regia* etc. Aſſyrii et Aegyptii erunt concordes. ועבדו - את אשור, *Aegyptii cum Aſſyriis Jovam colent*. Ad עבד iterum יהוה uti in v. 21. ſupplendum eſt. Hoc rectius eſt, quam cum alii vertunt: *Aegyptii ſervient Aſſyriae*, cui verſioni comma 24. repugnare videtur. ברכה, *felicitas*. אשר ברכו, *qua beabit illum*, diſtributive, quemlibet illorum.

Zephan. 3, 9 - 20. Poſtquam Zephanias in hoc capite interitum Hieroſolymae imminentem repetierat: ſubito in v. 9. ad promiſſionem meliorum temporum transgreditur, quibus haec rerum converſio fiet: Judaei in patriam ſuam reducentur, ubicunque fuerint, fidem Deo ſuo datam non amplius fallent. Poenae, quas ſuſtinuerunt, ſublatae erunt. Exterae quoque gentes Jovam invo-

cabunt, et pro unico et vero Deo habebunt. Qui autem Judaeos afflixerunt, miſere peribunt.

Nonne haec eſt aurea aetas, quam finito exilio et Meſſia apparente prophetae praedixere? Eandem ſpem vates noſter fovet, Meſſiam autem omittit, et ne verbo quidem tangit.

אחפך ־ ברורה, *admovebo populis labium purum.* Impuri erant et impura lingua utebantur idololatrae. Hinc *puris labiis praediti* ſunt ſoli Deo, Jovae, dediti, quod patet e verbis per epexegeſin additis: *ut omnes invocent Jovam et colant.* שכם אחד, *uno humero*, i. e. concorditer, omnibus conſentientibus. Tropus petitus eſt a bobus uni jugo ſubmiſſis illudque ſimul trahentibus. Recte LXX ὑπο ζυγον ἑνα. מעבר ־ כוש, *e regionibus trans flumina Aethiopiae*, i. e. trans Nilum Aethiopiam mediam ſecantem. Hae regiones pro locis longinquis nominantur. עתרי, *ſupplices mei*, עתר, *deprecatus eſt.* בת פוצי phraſis inſolentior, quodammodo ſimilis illi בת ציון. *Filia* בת in verſione omittitur. פוצי particip. Pual *diſperſi mei*, a r. פוץ, quae convenit cum נפץ, *diſpergere.*

V. 11. *Non pudebit te* etc. idololatriae nuncium mittes. גאוה, *magnificentia*, vi parallelismi et juxta Pſ. 47, 4. Nah. 2, 2. eſt Hieroſolyma.

V. 13. Populus erit ſanctis moribus, *fidem non fallet*, a Deo non porro deſciſcet. — משמטים, *poenae.* סנה, *expurgavit*, e conſpectu removit.

V. 17. יחריש באהבתו, *filebit in amore ſuo.* Melius LXX. κωνιεῖ, Syr. innovabit te, leg. יַחֲדִישׁ, probante *Houbigantio*, *Doth. Mich.* Ex amore, quo in te fertur, priſtinum ſtatum tuum reſtaurabit.

V. 18. Hocce comma obſcuriſſimum, quod absque dubio in mendo cubat, omiſimus, idque eo magis, quo minus ad finem noſtrum neceſſarium eſſe videtur. עשה את, *rem conficere cum aliquo.* הארץ בשתם, *terra pudoris ſui*, i. e. terra, in qua ignominioſe tractati et contemti ſunt. וכעת ſc. ההוא, *illo* tempore. קבצי, *erit colligere meum*; infinitivus verbo finito ſubjunctus ejusdem temporis eſt, cujus praecedens verbum finitum, *colligam.*

Sachar. 12, 1 - 10. 13, 1 - 7. Exterae gentes Hieroſolymam oppugnabunt, totamque Judaeam invadent, ſed irriti erunt illarum conatus, Judaei animum colligent, hoſtes internecione delebunt, et auſpice Deo totam Judaeam cum Hieroſolyma ſervabunt. Maxime autem deplorabunt heroa quendam, qui in pugna occubuit, cui olim Joſiam lugebant. Regia familia et cives hieroſolymitani tunc expiabuntur, idololatriae renunciabunt et pſeudoprophetis.

Neſcimus, a quo haec prophetia edita ſit. Omnes enim fere conſentiunt, Cap. 9 - 14. Sachariam non habere autorem. At poſt Joſiam et ante Babylonicum exilium prodiiſſe, non a vero alienum videtur. Joſias enim in proelio jam dudum occubuerat, regia familia autem adhuc floruit, Hieroſolyma oppugnanda erat.

Tantum autem abeſt, ut expugnationem illius vates veritus ſit, ut potius hoſtes maximam accepturos eſſe cladem firmiter crediderit, qua moti a bello Judaeae inferendo abſiſterent, Judaei autem in virtute confirmarentur. Hic propheta non Davidem quidem adumbrat, quo praeeunte tantam Judaei exſererent virtutem. Attamen familiam regiam non humilem, ſed florentem et majoribus

BIBLIOTHECA

animi bonis ornatam ac Deo expiatam animo concipit.

רוח אדם, *halitus vitae*, qui homini ineſt. שם סף רעל, *pelvem tremoris ponam.* סף, *pelvis*, *vas late patens*, רעל, *tremor*, pelvis vino repletus, quo artus tremunt, Pſ. 60, 5. Jeſ. 51, 17. Senſ. inebriabuntur, et dementes fient. Calicem inebriantem autem alicui porrigere, ſeu eum inebriare, e tropo conſueto litterarum ſacrarum eſt, exitio aliquem deſtinare; facere, ut male pereat. Haec igitur eſt prophetae ſententia: in Hieroſolyma oppugnanda ſtragem accipient hoſtes et exitio dabuntur.

Eundem ſenſum aliis verbis exprimit in v. 3: *reddam Hieroſolymam lapidem onerosum, portantes illum lacerantur.* Qui Hieroſolymam oppugnant, iis non magis proſpere conatus ſuccedet, quam qui lapidem graviſſimum ſublevare volunt. Quemadmodum iſti non ſolum nil proficiunt, ſed et facile lacerantur et vulnerantur, lapide in ſe relapſo: ita illi proſternentur et confringentur.

Verba intermedia — וגם על יהודה יהיה במצור על mihi hunc ſenſum habere videntur: *etiam contra Judaeam erit* ſc. hoſtis, *in obſidium contra Hieroſolymam*, non metropolin ſolam, ſed totam Judaeam infeſtis armis adgredientur.

V. 4. *Equos et equites dementia ferire*, eſt, dementes eos reddere, ut equi ſubigi et agitari nequeant, et equites neſciant, quid faciant, et quo ſe vertant.

V. 5. Longe aliter autem res ſeſe habebit, ſi Judaeos ſpectes. Hi Deo ſuo juvante fortiſſime pugnabunt, et hoſtes caedent. אמצה לי, *robur ſunt mihi*, corroborati ſunt per Jovam. כיוי, *fe-*

culus, vas rotundum ad ignem fovendum. Uti foculus igne repletus ligna prope ei adjacentia facile corripit et consumit, aut flamma manipulum: ita Judaei pugnantes dextra sinistrave inimicos obtruncabunt. וישבה ירושלים, *et Hierosolyma adhuc habitabit sub se Hierosolymae*, i. e. Hierosolyma adhuc inhabitabitur. Primo Hierosolyma posita est pro concreto, seu pro civibus urbem incolentibus.

V. 7. lege כְּבִרְאשָׁנָה cum LXX, Syr. Vulg. 5 codd. Sens. Deus non modo arcem regiam et metropolin, sed et minora oppida et pagos Judaeae proteget.

V. 8. Infirmissimi cives sub tutela divina tum erunt tam fortes, ac Davides fuerat, Davidides autem erunt Deo similes seu angelo Jovae illos praecedenti. מלאך יהוה, symbolum majestatis divinae, adeoque Deus ipse, Israelitas in proelio anteire credebatur. Sens. Et rex et subditi erunt fortissimi.

Quando autem exstinctum et caesum aliquem summo luctu deplorare dicuntur: propheta mihi videtur proposuisse, idem fatum eventurum esse, quod in proelio contra Aegyptios, in quo pius rex Josias vitam amisit. Etsi Judaei gentes inimicas ita caedent, ut fere exscindantur, et in posterum novum animum colligent: tamen ducem amittent, cujus jacturam tota patria et singuli hominum ordines lugebunt.

Noli quaerere, quando hoc factum sit, et quis iste princeps fuerit. Tota pericopa est poetica descriptio meliorum temporum, quae prophetae certissime exspectarunt, populoque eandem spem injecerunt.

Cap. 13, 1. Malis, quae homines perpetiuntur, Deus expiantur. Jam satis poenarum et reges et subditi dederunt. Deus delictorum veniam dabit, et cum illis in gratiam redibit. Hic est sensus verborum: fons ad expiationem et purgationem erit apertus. Abluitionibus, lustrationibus et purificationibus utebantur, qui Deo expiari voluerunt. חטאת, *expiatio*, a conjugat. Piel חִטֵּא, *peccatum abstulit, a peccato mundavit.* נִדָּה, LXX ῥαντισμος, *adspersio*, Numer. 19, 9. 13. 20. 21. a r. chald. נדה, *adspersus fuit.*

V. 3. Per נביאים pseudoprophetas intelligendos esse, addita verba רוח טמאה demonstrant. רוח est vir Numine afflatus, *spiritus impuritatis* autem est homo fallax, qui falso inspirationem divinam jactat. אדרת שער, *pellis villosa*, *Schaafpelz*, quam prophetae gestare solebant, 2 Reg. 1, 8. 1 Reg. 19, 13. Matth. 3, 4. 7, 5. אדרת, LXX. μηλωτη ab אדיר, *aries*, Genes. 25, 25. הקנני, *emit me*, a r. קנה, *emit, possedit.* Sens. Non erunt impostores, qui pseudoprophetas agent, et revelationem divinam falso sibi vindicabunt.

Fortasse vates dicere voluit, omnino multos prophetas amplius fore, nec veros nec falsos. Omnes recta Dei cognitione imbuti et pio animo affecti erunt, ut non indigeant prophetis, qui ut redeant ad bonam frugem, hortentur, poenas denuncient aut bonâ promittant. Felicitas jam adest, et constans erit et stabilis.

Sachar. 14, 7-9. Cap. 14. tot. Hoc oraculum fere habet idem argumentum cum praecedenti. Gentes Hierosymam invadent, expugnabunt, diripient, (id in oraculo praecedenti negabatur,) et magnam civium partem abducent captivam. Tan-

dem vero Jova urbis ſuae curam habebit, contra gentes inimicas pugnabit, ipſe Palaeſtinae uti olim imperabit, ei magnam felicitatem concedet. Fontes perennes ex Hieroſolyma orti aridum ejus ſolum irrigabunt, montes deprimentur, et in loca plana et campeſtria commutabuntur. Ambitus Hieroſolymae idem erit, ac olim fuerat, illaque de ſecuritate ſua gaudebit. Qui illam adgredi auderent, miſere interirent. Ab interitu qui ſervantur e gentibus, quotannis Hieroſolymam ſacrorum cauſſa peregrinabuntur, et Jovam, verum Deum, colent. Ibi non vaſa templi ſolum, ſed etiam privata erunt ſacra, et uſui ſancto apta.

Autor ab eo diverſus eſſe videtur, qui praecedens oraculum edidit. Fortaſſe circa tempus vaſtationis Hieroſolymae per Chaldaeos vixit. Non valde contradicerem ei, qui contendere velit, autorem diu poſt exilium babyl. et circa tempora Maccabaeorum floruiſſe, mortem Judae Maccabaei, direptionem Hieroſolymae deſcribere, et ſtatui ſpem meliorum temporum profiteri, quam ſemper prophetae ſuſcitarunt et foverunt. Quod ſi eſſet, non abnuerem, reliqua quoque capita inde a Cap. 9. ad haec tempora referre.

Sed utcunque hoc ſit, propheta noſter exſpectavit aevum felicius Judaeis exſurgens, rempublicam judaicam ſemper duraturam, et cultum Dei in templo hieroſolymitano perpetuum, cui etiam gentes exterae aſſueſcerent. De Meſſia filet, per quem ſecundum alios haec fieri debebant. Id quoque in tempora Maccabaeorum quadrat, quibus non Davidica, ſed familia quaedam ſacerdotalis fuit illuſtris.

V. 7. *Paſtor et vir Deo proximus* eſt princeps, quicunque fuerit, ſive rex ſive alius belli dux.

Principes enim proxime ad Deos accedere, ſimplicitas antiqui aevi credidit, Pſ. 83, 6. Quot regibus divinas origines tribuerunt! quot principes poſt mortem inter divos retulerunt! — Hic princeps *gladio feriendus eſt*, in bello cadet. Reliquus populus tum in fugam conjicietur.

Deus vero miſellam turbam non miſſam faciet. עניים ſunt *miſeri*, *afflicti*. Tertia pars conſervabitur, et malis, quae experta eſt, uti aurum igne probabitur.

Major pars (v. 9. Cap. 14, 1. 2.) peribit, Hieroſolyma expugnabitur, exſpoliabitur, mulieres ſubigentur, plurimique captivi abducentur.

V. 3 - 9. Tunc autem Jova ipſe apparebit vindex et protector turbae ſuperſtitis, et urbis ſuae ſanctae. Stabit in monte olivarum, qui tremore concutietur et in duas partes prae reverentia majeſtatis Jovae diffindetur. Apparebit autem cum ſatellitibus ſuis coeleſtibus, diem obnubilatum et obſcurum tandem ſerenum reddet et illuſtrabit.

Haec eſt poetica deſcriptio Numinis ſuis auxilio venientis, quem ſemper inter fulgura et tonitrua, nec non terrae motum, apparuiſſe tradunt, Pſ. 18, 2 - 17. Habac. 3, 2 - 12. In ea autem non quaeras, quid hoc ſibi velit, quod Deus ſtet in monte olivarum, quod iſte mons fiſſus ſit. Haec et his ſimilia ſunt imagines rei exornandae et amplificandae cauſſa inventae et appoſitae.

Quidnam autem faciet Jova adveniens? debellabit gentes Hieroſolymam affligentes. Judaei autem fuga ſalutem quaerent, quando montem olivarum tremente magnumque in eo terrae hiatum ortum videbunt, uti olim ſub Uſia, quum terrae motus fuerat, in fugam ſe dederant, ne

ruina opprimerentur. נסתם גיא הרי, *fugietis ex meo hiatus*, quo mons fatiscet. אצל, τοις LXX, Aquilae, Theodotioni, Jonathani fuit nomen loci proprium, de quo dubitamus. אצל arab. est *radix*, per quam *ima montium*, ad quae usque hiatus pertinget, intelligenda essent. קדשים, ministri coelestes, angeli, quibus comitantibus Deus sese ad terras demittit, Dan. 8, 13. — V. 6. Hic dies erit tenebricosus et frigidus, lege וקרות וקפאון, *sed frigus et gelu*. In terrae motu fieri solet, ut coelum nubibus atris obducatur. Tandem circa vesperam nubila fugient, serenitas coelo redibit, lux pura reddetur. Sens. Postquam multas et magnas afflictiones Judaei sustinuerint, tandem gaudium et laetitia subsequetur.

V. 8. Amoenitas et fertilitas terrae aquarum rivulis augetur. Solum autem in vicinia Hierosolymae est siccum et non admodum fertile. Hoc ut amoenius aspectu esset et exuberaret, fons jugis Hierosolyma exibit, et occidentem aeque ac orientem versus manabit. Hoc non verbotenus, sed poetice intelligendum esse, vix ut moneam opus est. ים הקדמני, *mare orientale* s. mortuum, lacus asphaltites. ים האחרון mare occidentale s. mediterraneum. חרף, *totum frigoris tempus*, קיץ ושי oppositum, autumnus cum hieme, propr. tempus, quo fructus carpuntur.

V. 9. At rivis per terram meantibus obstant montes et colles. Hoc impedimentum ut removeatur, omnia loca montana in planitiem mutantur. *A Geba*, oppido tribus Benjaminis, et respectu ad Hierosolymam boreali, Jos. 21, 17. 1 Sam. 13, 3. *Ad Rimmon*, oppidum Judae in parte australi, Jos. 15, 21. 32. —

Hierosolyma eundem ambitum habebit, quem olim habuit, in longitudinem et latitudinem. רוּם, *exaltata erit*, a r. רום. Vau media radicalis more Arabum in ו mutata est. *A porta Benjaminis ad locum portae priscae. Porta Benjamin* urbi erat ad septentrionem. Eadem porta Ephraim 2 Paralipom. 25, 23. *Porta vetus* ad occasum erat, Neh. 3, 6. שער הפנים, *porta angulorum*, f. propugnaculorum ob turres ibi factas, erat ad ortum. *Turris Hananael* erat ad meridiem, Nehem 3, 1. *Usque ad texcularia regis*, is locus erat in urbe intima apud Sionem.

V. 12. Populi, quorum animos Hierosolymam obsidione cingendi libido subitura sit, peribunt, tabe infestabuntur et absumentur. עמד על רגליו, *pedibus suis stare*, validum esse, corporis viribus valere. Si paulo ante adhuc valent, subito contabescent. מהומה, *conturbatio mentis*, a r. הום, arab. vertigine δινεισθαι. מהומת יהוה, *perturbatio Jovae*, i. e. quam Jova immittit propter timorem mortis. — *Unus manum alterius prehendet, manus unius in manum alterius ascendet*, i. e. unus alteri se adjunget, ut in rebus angustis fieri solet, ut miseri socios sibi quaerant. Male alii haec verba de discordia inter gentes exorta explicant. גם יהודה — בירושלים, *Juda quoque* vel *ad Hierosolymam*, vel *intra illam*, *dimicabit*, ut urbem defendant, ab impetu hostium.

Jumenta non minus quam homines lue conficientur, et pereunt; hostes in castris suis magnas opes obsessis relinquent.

V. 17 - 19. Hisce omnipotentiae Jovae argumentis illustratae exterae gentes religionem mosaicam amplectentur, et Jovam tanquam unicum et verum Deum adorabunt. Quae sententia

ita exprimitur, gentes ad Hierosolymam accessuras esse, ut festum tabernaculorum celebrent. Singulis diebus festis ob itineris longinquitatem adproperare nequeunt. Ne tamen prorsus officio suo desint, saltem festo in autumnum, quo peregrinatio facilior est, et in finem anni incidente, Hierosolymae convenient. די particula expletiva, מדי שנה, *a quovis anno in annum*. Aegyptus exempli caussa nominatur. חטאת, *poena peccati*, Gen. 4, 7. *Imber non decidet*, sterilitas et annonae caritas erit.

V. 20. 21. Nil erit profanum. Quicquid est, Deo erit sacrum, sive sit in templo, sive privatis in aedibus. Insulae pontificis inscriptum erat: sacra Jovae. Eandem inscriptionem jam tintinnabula equorum habebunt. מזרקים, *phialae*, quibus sanguis excipiebatur, quae sanctiores ollis erant, in quibus caro assabatur. Jam pari pretio cum phialis aestimabuntur. Non vero ollae templi solae, sed etiam ollae privatorum hominum sanctae erunt, ut in iis sacrificia offerre haud nefas sit. כנעני, *homo profanus*.

Jes. Cap. 65. Populus judaicus in exilio versans a Deo precibus supplicibus, efflagitaverat, ut sui misereatur, et peccatorum veniam sibi det, terram totam enim esse vastatam, templum incendio deletum. Ad has preces Deus in Cap. 65. et 66. respondet. In Cap. 65: Judaeos, parcos antea Jovae cultores, jam, cum in angustiis essent, se invocare. Illos inobedientia et idololatria sua poenas, quas sustinerent, meruisse. Attamen Jovam paucos sibi reservare cultores, qui salvi et felices futuri sint; qui Palaestinam possessuri, ibique laeti et omnibus rebus affluentes vitam essent acturi. Omnia in novam formam mutatum iri,

laetandi materiam civibus hieroſolymitanis non defore. Omnes ad ſummam ſenectutem, quam olim patriarchae attigerint, eſſe perventuros, Deum ſibi propitium, domos ſecuras, fructuum copiam, et ipſas beſtias pacatas habituros eſſe.

Hic propheta anonymus, qui absque dubio, cum exilium babyl. ad finem vergeret, et jam nova melioris ſpei lux affulgeret, vixit, non minus ac alii vates ſacri finito exilio meliora tempora Judaeis ſuperſtitibus promittit, quae in hoc, et magis adhuc in ſequenti Capite delineat. Eandem, quam alii, depingit auream aetatem, praecipue converſionem gentilium ad religionem moſaicam, et univerſalem Jovae cultum promittit, Meſſia, neſcimus, qua de cauſſa, omiſſo.

Caeterum neutiquam propheta de converſione gentilium ad religionem πνευματικην, ſed σαρκικην, i. e. ad moſaicam, loquitur. Nam converſi ſacrificia offerunt, et Sabbata celebrant.

V. 1. 2. Senſ. Judaei, qui me antea neglexerunt, nunc ſerio me invocant. In Cap. antecedenti inducebantur opem divinam implorantes. Igitur iis exprobratur, quod non niſi rebus adverſis Dei recordentur. Deum olim ad hunc populum manus expandiſſe, et illum ad obedientiam invitaſſe, ſed fruſtra, cum potius in devia aberraret, et Deum idolorum cultu irritaret. קָרָא effero אֶקְרָא, reſpondet enim verbis שאלו et בקשוני. לבנים, *arae lateritiae*, quae in lege moſaica prohibitae erant, Exod. 20, 25. בצורים, ἐν τοις LXX, ἐν τοις σπηλαιοις, itemque Syr. fortaſſe a r. צור, ut ſit בצור, *locus anguſtus*. Qui necromantiam exercebant, inter ſepulcra verſabantur. *Veſcebantur carne ſuilla*, quae ex lege levitica fuit immundiſſima, Levit. 11, 7. Ethnici carnis ſuillae vel

juſculi e carne confecti comeſtione tanquam ſacramento et ritu magico ſe daemoni conſecrarunt, et δαιμονολήπτοι evaſerunt, vid. *Spencer.* Lib. I. c. 5. ſect. 4. כליהם (ב) ומרק פגליהם, *et fruſtum rerum foetidarum eſt in vaſis ſuis.* Res foetidae ſunt res immundae Diis oblatae, ut caro porcina. Nonnulli codd. et interpretes antiqui legunt מרק, *juſculum.* קרב אליך, *accede ad te*, deſiſte a me, apage. קדשתיך pro מְקַדַּשְׁתִּי, *ſanctior ſum te*, vel מְקַדַּשְׁתִּי לְךָ, *ſanctus ſum ratione tui.* Niſi melius eſt בָּאֵלֶּה legere: *ego ſanctus ſum, ſicut haec*, ſc. vaſa ſacra. Certe אלה cum עשן non bene connectitur. עשן - היום, *fumus eſt in naſo meo, ignis ardens quotidie*, i. e. propter haec peccata valde iratus ſum.

Ecce ſcriptum eſt coram me: non ſilebo, quod ego non inultum finere firmiter decrevi. Poetae Deo librum memorialem tribuunt, cui inſcribat, quae memoriae infigere velit. V. 6. 7. Luunt in exilio poenas, et adhuc luent tum ſuas, tum majorum poenas. מדותי - תיקם, *admetiar mercedem laboris ſui priſtini*, i. e. exacte iis rependam, nec plus, nec minus, quam promeruerunt. מעלה, *merces laboris*, Jeſ. 40, 10. 62, 11.

V. 10. Poſt hanc vitiorum exprobrationem propheta ad promiſſionem boni tranſit, non omnes Judaeos delendos, ſed paucos eſſe ſervandos. Quam ſententiam illuſtrat ſimili a vindemia petito, in qua una alterave uva in botro relicta non abjicitur, ſed quia gratum ſaporem continet, diligenter ſervatur, v. 8. Superſtites autem Palaeſtinam poſſidebunt, ibique greges ovium et armenta paſcent. הרי, *montes mei*, Palaeſtina montibus referta. Alii הָרִי enunciant, *mons meus*, Sion. In ירושה omiſſa eſt ארץ. *Saron* eſt campeſtris regio circa

Lyddam et Joppen, inde in Aquilonem extenta usque ad Caesaream vel montem Carmelum, fertilissimus ager, pecudi pascendae aptissimus, Cap. 33, 9. 35, 2. *Achor* est vallis ad Septentrionem Hierichuntis, quam fertilissimam fuisse et pecori pascendo commodissimam, tum ex hoc loco, tum ex Hos. 11, 14. apparet.

Dum autem haec bona promittit, redit ad illos profanos, culpam eorum repetit et explanat, simulque sortem eorum tristem fore adfirmat, et ei contrariam, quam pii habebunt, v. 12 - 16. העורכים לגד שלחן, *qui paratis fortunae mensam.* גד, *dea fortuna*, LXX. την τυχην, Symmach. et Vulg. fortunam. Arab. جد est *felicitas*, *fortuna secunda.* מני, *fatum*, arab. منا, Dea Arabum. Est illa ex tribus filiabus Dei, in vicinia Meccae olim, quia et in ipsa aliquando Caaba cultis, contra quas in Corano Mohammedes disputare solet, tertia. Vid. *Pocockius* in specim. histor. Arab. p. 89-93. et *Mich.* Suppl. p. 1519. ממלאים ממסך, *poculum implentes*, ממסך, *libamen mixtum.* — In מניתי est allusio ad מני per paronomasiam, quemadmodum in phrasi לטבח חכרעו ad העורכים שלחן, vos diis vestris mensam parastis, jam ipsi ceu victima mactabimini. Pagani autem solebant diis suis cibos et potus apponere, et lectisternia parare, quod in Babylonia quoque usitatum fuisse, ex historia Belis satis constat.

V. 16. Qui aliis mala imprecatur, vobis exemplo utetur: Jova te ita opprimat, sicuti malos Judaeos. Tunc vero pii ex Judaeis nomen suum mutabunt, ne cum hisce hominibus scelestis confundantur.

והחברך, *fausta sibi apprecari.* באלהי אמן, *per Deum veracem.* Deum dum Israelitae compella-

bunt,

bunt, non nomine Jovae olim uſitato utentur, ſed novum nomen *Deus Amen* ei imponent, quia promiſſis ſtetit, et fidem ſervavit, et ſe miſeria ſublata feliciſſimos reddidit.

Haec nova felicitas a v. 17 - 25. uberius exponitur. *Deus condet novum coelum et novam terram.* Senſ. Alio loco res erunt, omnia in melius vertentur. Quando prophetae regni alicujus interitum indicant, ſolem obſcurari, lunam ſtellasque de coelo cadere dicunt. Cum conditio reipublicae alicujus in melius mutatur, orbis poetis quaſi recens creatur. כי אם, *ſed.* שישו et גילו in Indicativo vertenda ſunt. Verba ע"ו et ע"י enim inter ſe crebro commiſcentur. גילה ـ בורא creo *Hieroſolymam* gaudium, i. e. creo Hieroſolymae gaudium.

Felicitatis, qua homines ſub primordia mundi in aurea aetate fruebantur ſecundum mythologiam hebraicam, pars erat longaevitas. Haec in novo rerum ſtatu Judaeis concedetur, v. 19. 20. Seram ſenecturem aſſequentur, et tam diu vivent, quam olim patriarchae vixiſſe dicuntur, ſeu per tot ſecula durabunt, quot quercus, terebinthi, cedri durant. Qui centenarius moritur, pro puero cenſebitur. החוטא, *qui lubrico motu excidit a*, i. e. non attingit centum annos. יקלל, *pro maledicto*, i. e. Deo exoſo et vi divina ſublato habebitur. משם, *ex ibi*, i. e. ex Hieroſolyma non prodibit.

Altera felicitatis pars erit tranquilla terrae poſſeſſio, et frugum illius fruitio, v. 21 - 23.

Tertia pars erit ſobolis incolumitas, v. 24. בהלה, *feſtinatio.* Arab. בהלה, *levitas, celeritas in inceſſu.* לא ילדו לבהלה, non gignent liberos, ut cito pereant.

Quarta pars erit, quod tota natura erit pacata, nil nocivum aderit, beſtiae feritatem deponent, v. 25. Haec aureae aetatis deſcriptio imitatur illam, quam Jeſaias in Cap. 11, 6 - 9. dedit. טלה, *agnellus recentis aetatis*, t. Syr. טלא, *recens fuit*.

Cap. 66. Hoc tempore, quo ſtatus Judaeorum erit pacatiſſimus et fortunatiſſimus, Deus non tam deſiderabit, ut templum habeat, in quo colatur, et ut ſacrificia offerantur, quam ut homines pietatis ſenſu impleti ſint, v. 1 - 3. Qui hoc carent, iis iterum poenas denunciat, v. 4 - 6. Judaeae non deerunt incolae, quorum ſubito magnam copiam habebit. In metropoli ſolatio et felicitate fruentur, v. 7 - 14. Rurſus ad idololatras et maleficos occaſione data ſe recipit, illosque Deum non inultos ſinere declarat, v. 15 - 18. At mox pergit filum orationis abruptum texere, et monſtrat nobis gentes barbaras Numen Iſraelitarum agnoſcentes, populum ejus diſperſum adducentes ea, qua fieri poteſt, celeritate *et animi* promtitudine. Plebs Iſraelitarum nunc quoque ſacerdotii munere fungi poterit. Gens judaica perpetuo florebit. Verum enim vero non hoc ſolum erit, ſed omnes nationes ad templum hieroſolymitanum advolabunt, ut ibi ritu judaico Jovam adorent. Qua occaſione ſaevam vindictam de refractariis Dei hoſtibus ſumtam oculis ſuis cernent.

V. 1 - 4. jam alio loco illuſtravimus. Hypocritae in ritibus externis confidebant, et hos ſi modo rite obſervent, divino favore ſe non deſtitui putabant. His, quia pios perſequuntur, et a ſe removent, in v. 4 - 6. poenas divinas indicit.

יכבד יהוה, *Jova honoratur;* Deo ſe placere credunt, cum pios et recte de Deo ſentientes perſequuntur. — *Vox tonans e templo auditur*, h. e. Deus minatur. Tonitru enim eſt vox Dei, et in templo hieroſolymitano Numen praeſens erat, et reſponſa dabat.

At alia erit conditio piorum Sionitarum. Sion mox multis civibus referta erit. Haec res autem per ſimilitudinem exponitur. Sion comparatur mulieri facillime partum edenti, cum vix dolores partus ſentiret. Et quidem Sion plurimos filios ſimul, Deo obſtetricante, i. e. opem ferente, peperit. Iſti liberi recens nati uberibus matris admovebuntur, in brachiis geſtabuntur, blande fovebuntur et mulcebuntur. Hujus tropi ſenſus eſt, Hieroſolymam diu deſolatam et deſertam ſubito civibus abundaturam eſſe, quorum res proſpere ſuccederent. Poſt tot mala, quibus Judaei durante exilio vexati ſint, novi incolae Sionis jam ſolatio reficientur, et ſummae felicitatis participes fient.

Poſt verſum ſextum pauſa faciendа eſt. Subito Deus, qui loquitur, poſtquam hypocritis minatus fuerat, ad Sionem ſe convertit, quam nullo fere labore liberorum multitudinem praeter omnium exſpectationem enixam eſſe animadvertit. In oratione concitatiori, qua utitur, nomen Sionis reticetur. בטרם תחיל ולדה, *priusquam (Sion) partus dolores ſenſit, jam peperit*, i. e. nil minus ſperanti Sioni magna civium frequentia adeſt. Eundem ſenſum habent verba alterius hemiſtichii.

Non ſolum autem mirandum eſt, Sionem ex inſperato partum edidiſſe, ſed totam gentem

ſimul edidiſſe. Hoc eſſe inauditum. Etenim neque terram ipſam, neque gentem aliquam uno partu ſimul genitam eſſe.

Id non niſi Deo obſtetricante fieri potuit, v. 9. השביר, *frangere facere ſecundinam*, i. e. partus initium facere. עצר, *partum prohibere*, quo minus in lucem edatur. Senſ. Quod Deus incepit, id quoque perficiet. Reſtitutionem reipublicae judaicae, quam praeparavit, certo efficiet.

Infantes recens nati tenerrimo amoris effectu et ſollicita cura alentur, ubera iis praebebuntur, in brachiis geſtabuntur, ſuper genibus mulcebuntur, i. e. ſingulari curâ Deus novos cives hieroſolymitanos fovebit, et, ut iis nil deſit, efficiet. למען, *propterea*. זיו כבודה, *ſplendor gloriae ejus*, Sionis, ſumma ejus dignitas. זיז, *ſuperbia*, a v. זוז syr. *ſuperbivit*. כבוד, *divitiae*. כנחר divitiae et omnia proſperitatis genera largiter et abunde fluminis inſtar effundentur. על צד, *ad latus* etc. ſicut mater amans tenellos in brachiis geſtat, vel ſuper genu demulcet: ita novi incolae benigne excipientur. שעע syr. 1) *levis, mollis fuit*, 2) *blanditus eſt*.

Dum propheta dicit, omnipotentiam Dei cultoribus ejus conſpicuam fore, recordatur eorum, qui a Jova deſciverunt, et vanam religionem amplexi ſunt, iisque poenas divinas eo tempore minatur, quo cultores ſuos Deus beneficiis ornabit, v. 15-18. Deus autem inducitur ut fortis bellator, curru bellico vectus, flammis ſaeviens et enſe armatus, a quo omnes idololatrae caeduntur. Turbo eſt currus Dei, fulmen eſt ignis, quem refractariis immittit.

Ex hujusmodi deſcriptionibus, Meſſiam, quando apparitorus ſit, impios punitorum eſſe, probare annitebantur.

נשפט reciproce *judicavit cum altero*, *disceptavit*. De אחר אחר, vel secundum אחת in foemin., dissentiunt, quid sit. Aliis est *Adad*, Syro-Phoenicum Deus fuminus, (Αδωδος βασιλευς θεων, ex Sanchoniathone Eusebius in praeparat. evangel. T. 2. c. 10.) cujus nominis interpretatio auctore *Macrobio* Saturnal. l. 1. c. 23. significat *unus*, h. e. אחד, littera *h* adspirationis vitandae caussa in *d* mutata. Ante אחר omissum est verbum היה, *post Achadum esse*, i. e. eum colere. Alii aliter, sed nihil certi constat. בתוך, *in medio horti*. סוף, *consumi*.

ואנכי - מהשכותיהם est apostopesis, ut illa Virgilii: quos ego —, sed praestat motos componere fluctus. — Ego in opera et consilia illorum animadvertam.

Ab his repente vultum avertit, et denuo reditum exulum judaicorum, et propagationem cognitionis veri Dei inter gentes describit. באה sc. עת, *tempus venit*, Ezech. 39, 8. הלשונות idem quod הגוים, *nationes variis linguis loquentes*. Gentes conveniunt, ut majestatem Jovae Sione conspicuam agnoscant. ושמתי בהם אות, inter has signum erigetur, ad quod alii tendant. Ex his nonnulli legati ad remotiores gentes mittentur, ut ibi Jovae dignitatem et potentiam proclament. פלטים, *celeriter vadentes*. פלט arab. de *celeri lapsu* adhibetur. Ut oratio sit vividior, gentes quasdam remotiores nominat תרשיש, פול, לוד, etc. *Tarschisch* nonnulli in Hispania, alii in Aethiopia quaerunt. *Phul* est *Bocharto* Phile, urbs in insula ad Nilum fluvium sita; centum stadiis supra Sienen. *Lud* Abessyniam *Bochartus*, alii Lydiam ob

ſoni ſimilitudinem interpretantur. יון eſt *Jonia*, Graecia. חובל *Bocharto* videntur eſſe *Tibareni*, Ciliciae gens.

Simul iſtae gentes Judaeos diſperſos reducent ex omnibus locis, quibuscunque fuerint, eosque ut mancipia ſacra templo offerent muneri. Utque celerius absque impedimento iter perficiant, Judaeos equis, mulis, eſſedis imponent. צב, *ſella tecto obducta*, ab utroque cameli latere dependens, hominibus deportandis apta, r. צבב, *obduxit, texit*. כרכר, *dromadas* plerique interpretantur. *Bochart.* in hieroz. Lib. II, c. 4. Sed idem potius eſſe videtur, quod כר גמל Gen. 31, 34. *lectica a duobus mulis geſtata*. Praeiverunt LXX. *εν λαμπηνοις ἡμιονων μετα σκιαδιων*, in lecticis mulorum cum umbraculis, cf. Mich. Suppl. p. 1341.

Jam non Levitae ſoli, ſed etiam ex aliis tribubus Iſraelitae digni erunt, qui munus ſacerdotii adminiſtrent. מהם, *ex illis*, Iſraelitis.

V. 22. Reſpublica judaica, quae per novum coelum et novam terram innuitur, immota ſtabit, et aetatem vincet. Natio judaica ſemper florebit.

Tandem v. 23, non amplius diſſidium erit inter Judaeos et alias gentes a cultu Jovae alienas. Omnes enim homines idololatria ſe abdicantes religionem a Moſe praeſcriptam amplectentur. מדי-חדשו, *ſingulis noviluniis*, quae a Judaeis celebrabantur. די, *ſufficientia*, Nominibus praemiſſum per *quivis*, *ſinguli* exponitur, 1 Sam. 7, 16. Sachar. 14, 16. 2 Chron. 24, 5. *a quovis menſe in menſem*. כל בשר, *omnis caro*, omnes homines.

V. 24. Hi Judaei nova felicitate ornati portis Hierosolymae egressi videbunt cadavera hominum a Jova prostratorum. Et si quaerent, qui sint, eos, qui a Jova defecerint, eique nuncium miserint, hoc modo poenam luisse audient. Tanta autem erit cadaverum strues, ut vermes quam diutissime habeant, quae arrodant, corpora, et rogi ad caesos comburendos accensi per satis longum tempus extingui nequeant. Mortui omnibus erunt nauseae et fastidio.